

STROZZI (Tito Vespasiano)

BORSIAS (5564 vers)

Portrait de **Borso d'Este** (1413-1471)

## LIBER PRIMUS

B\_1 v.1 Sollicitos error cecinit juvenilis amores,  
 2 ingenii florentis opus. Mox lentus in umbris,  
 3 Quartisana, tuis agrestia carmina lusi.  
 4 Devia nunc alio peragrare Heliconia passu  
 5 dum meditor, se Borsi offert mihi gloria, quo sub  
 6 aurea nunc agitur populis felicibus aetas,  
 7 unde novum caelo promittere numina sidus  
 8 certa fides. Hic erit merito mihi carminis autor.  
 9 Magnanimosque duces atque alta exordia dicam  
 10 gentis Atestinae Trojana ab origine ductae ;  
 11 nec minus egregia referam virtute receptum  
 12 aequore ab Adriaco Tyrrheni ad littoris undas  
 13 praeclarum imperium et populis data jura subactis.

14 Haec igitur, Musae, vestro si numine fretus  
15 aggredior, vos este duces ingentibus orsis  
16 ac mecum seriem tantorum evolvite rerum !  
17 Est plaga convexo caeli sublimis in axe,  
18 quam media nondum Sol cursus parte peracta  
19 paene suis attingit equis ac roscida Phoebe  
20 altius oppositam directo lumine cernit.  
21 Hanc senior genius sedem incolit, arduus unde  
22 terrarum tractus omnes pontumque vagantem  
23 despicit ac vires cunctis alimenta que rebus  
24 immittit ; sic fata jubent et rector Olympi.  
25 prisca olim dictu mirabile credidit aetas  
26 hunc : per se genitum nullos habuisse parentes  
27 conveniensque sibi Autogenae tunc nomen adeptum.  
28 Quo patre in incertum longis abducimur annis ;  
29 fautorem natura suum tamen esse fatetur  
30 ac velut auctori rerum mitissima paret.  
31 Ille hominum genus a prisca pietate fideque  
32 degenerasse videns et humum, quae semine nullo  
33 passim sponte sua prius omnia ferre solebat,  
34 nunc hominum studio cultuque boumque labore  
35 perdomitam miseris sperata alimenta negare,  
36 indoluit graviterque tulit sua jura suasque  
37 infringi vires ; tum pectore concitus imo  
38 constitit ante Jovem et tristi haec deus ore locutus :  
39 "Quo mea se tandem constans patientia vertet,  
40 o pater ? An merui, populis sim ut fabula cunctis ?  
41 Jam me odere omnes passim ; quicquidque per orbem  
42 infandum, triste, obscaenum et sine legibus ullis  
43 mortales audent, in me omnis culpa refertur.  
44 Ipse velut scelerum furias causamque malorum  
45 omnibus inspirem et jubeam, discedere ab aequo !  
46 At si forte seges nonnumquam fallit avarum  
47 agricolam et frustra pendentibus uva racemis  
48 evanescit et in ventum spes fertur olivae,  
49 si Borea stridente cadunt florentia poma,  
50 arida si victum pecori morientibus herbis  
51 prata negant, si morbi homines, armenta gregesque  
52 infestant, gentes passae haec me protinus unum  
53 respiciunt gravibusque notant ea facta querelis ;  
54 vel senio me defecisse nihilque valere  
55 immemorem vel me commissi muneris aiunt.  
56 Scis tamen, Omnipotens, neque enim non omnia nosti  
57 expertes culpa nos esse et criminis hujus  
58 atque omni studio curare, ut fraude remota  
59 optima sint maneantque diu, quaecumque creasti.  
60 Nec vero quemquam ex istis quos numina caeli  
61 appellant, pater, incuso, quod saepius atris  
62 cladibus affligunt terras, mortalibus ipsi  
63 infensi, dum quisque suas ulciscitur iras.  
64 Usque pati nequeo mea jura meosque labores  
65 culpari immerito tantamque insurgere molem  
66 undique nimirum divum mihi nemine laeso,  
67 quos ego vel nullos memini considerare caelo  
68 vel saltem raros, divina potentia cum me  
69 praefecit rebus munusque hoc sumere jussit.

70 Si deus esse feror, si me dignaris Olympo,  
71 dedecus a nobis hoc aufer, maxime divum !  
72 Aut mihi succedat, quem numquam injuria turbet,  
73 aut mihi tu vires antiquas redde, neque ullus  
74 implicet huc sese, mea qui deus acta refellat.  
75 Sit ver perpetuum atque eadem sit gloria terrae  
76 et similes illis, quos aurea protulit aetas,  
77 nunc quoque sint homines atque haec mala semina tolle,  
78 ne qua hominum post haec divos audacia laedat ;  
79 utque mihi aeternum est, sic inviolabile numen  
80 officio praesit ; satis est non spernere magni  
81 jussa Jovis neque nos alium cognoscere regem".  
82 Dixerat, et varie superos ea dicta movebant.  
83 Ac velut accitos ingens ubi curia patres  
84 accepit magno in populo, tunc ordine si quis  
85 assurgens orare parat, silet omnis et aures  
86 praebet turba viro in medium non vana ferenti ;  
87 ille ubi conticuit, consessum audita per omnem  
88 mox hominum studiis animos discordibus actos  
89 verba acuunt ; dictis favet hic, contrarius ille  
90 haud reticet nec sentit idem. Terrena deorum  
91 concilio si fas conferre, haud secius illic  
92 contigit, et genium pars haec laudare loquentem  
93 non levia et quae posse putant conducere mundo,  
94 pars illi obstrepere et nimio se tollere fastu  
95 liberiusque loqui et contemnere numina visus.  
96 Ergo illi solita ingentem praestare favorem  
97 hactenus haud aequa tulerat Saturnia mente  
98 verba dei nec passa moram Tritonida nutu,  
99 quae cuperet responsa dari, monuisse putatur,  
100 non infensa quidem aut odio stimulata maligno,  
101 sed potius ne tot caelum turbare querelis  
102 amplius auderet magnosque lacessere divos.  
103 Haud secus indocili genitrix fidissima nato  
104 prospiciens damnat vitae illaudabilis acta  
105 optat et interdum, ut dictis haud mollibus asper  
106 exagitet monitor cogatque ad sana reverti.  
107 Senserat inter se coetus mussare frequentes  
108 caelicolum Pallas neque amico cernere vultu  
109 talia jactantem nec amaris parcere verbis.  
110 Ipsa etiam obliquo jamdudum saucia questu  
111 sponte sua genium paribus configere telis  
112 certa erat et jam tunc animo responsa pararat ;  
113 conspecta Junone tamen gravioribus arsit  
114 Irarum stimulis surgensque his vocibus orsa est :  
115 "Res indigna tuis se, maxime Jupiter, offert  
116 auribus, haud ulli omnino patienda deorum  
117 nec toleranda tibi. Quos nullo ducere vitam  
118 fine jubes tecum et caeli supera alta tenere,  
119 accusante reos genio nos dicere causa est.  
120 Ipsa quidem potui nil non commota silere  
121 et mihi cum superis communem hunc ferre dolorem,  
122 quisquis is est, quando haec non unam injuria tangit.  
123 Sed quid ego obliquis oculis tibi saepe notata,  
124 vane senex, ceu prima tuae sim causa querelae,  
125 dissimulem ulterius tua nec maledicta refellam ?

126 Tanta sed in superos postquam petulantia linguae  
 127 prorupit nec te ulla Jovis reverentia movit,  
 128 cur tua damnatos verita est temeraria summo  
 129 supplicio punire, geni, sententia divos ?  
 130 Fulmine Tartareas cur non ego mittor ad umbras ?  
 131 Cur non exitium patior sortemque Typhoei  
 132 vertice nata Jovis, quae te caelumque deosque  
 133 defendi simul auspicio ductuque paterno ?  
 134 Tempore quas illo strages tua dextra Gigantum  
 135 edidit ? Aut quis te pugnans aut arma ferentem  
 136 pro superis vidit pro communique salute ?  
 137 At cum terrore exanimis vetus incola caeli  
 138 nil ageres, tres in numerum paulo ante recepti  
 139 divorum intrepide superis pugnavimus armis.  
 140 Atque ita consilio Jovis et virtute subactis  
 141 terrigenis, paucis nostrorum in proelia missis,  
 142 quid mirare, tuis ratione carentibus actis  
 143 nunc genus humanum si te fastidit et odit ?  
 144 At si quando fluit sterilis mortalibus annus,  
 145 quis dolus hic, quae culpa deum ? Quid ineptus et asper  
 146 surgis et injustis cur omnia questibus imples ?  
 147 Tu genitor, qui cuncta vides, sine numine cujus  
 148 quicquam ulli tentare nefas hominumque deumque,  
 149 tu nostrorum operum finem secretaque nosti  
 150 pectoris et minime ignoras, ut cura nocere  
 151 nulli nostra velit, cunctis prodesse laboret.  
 152 En quantum artificii sermone disertus et astu  
 153 conatur velare nefas ! Tibi nemo deorum  
 154 incusatur ? An hos omnino aut mente carere  
 155 aut tua quo tendant verba ignorare putasti ?  
 156 Haud quemquam, fateor, manifesta prodere voce  
 157 visus es ; at nulli simulata modestia par est.  
 158 Istud nemo tibi munus dispone timorem !  
 159 Invito eripiet summo Jove nec sibi quisquam  
 160 te parere jubet. Rex omnibus imperat idem.  
 161 Non ego, perpetui redeant si tempora veris  
 162 et similes illis, quos aurea protulit aetas,  
 163 nunc quoque sint homines, aegre, pater optime, ferrem.  
 164 Est tamen indignum, quod majestatis honore  
 165 posthabito genius magni Jovis audeat altum  
 166 consilium damnare suis ceu futile verbis.  
 167 Abs te principium, per te finem omnia sumunt.  
 168 Quid vero expediat terris, quid gloria caeli  
 169 poscat, ab aeterno tua magna potentia novit".  
 170 Finierat Pallas. Magni dominator Olympi  
 171 ardores tantos animorum et jurgia saeva  
 172 hinc atque hinc prolata odiis exosus et alto  
 173 pectore fatorum seriem spatiosaque volvens  
 174 saecula, sic fari coepit (quo saeva loquente  
 175 flamina ventorum siluere et luce serena  
 176 purior illuxit discussis nubibus aer ;  
 177 caerulea velivoli stetit aequoris unda neque amnes  
 178 montivagi interea sonitum per saxa dedere) :  
 179 "Saepe equidem tantas volui compescere lites,  
 180 infensos placare animos, certamina vestra  
 181 tollere, caelicolae, atque odiis rescindere causas,

182 vestra sed opposuit sese discordia coeptis  
183 omnia permiscens. Potuissem cogere quamvis  
184 obnisos contra et caeco dare frena furori,  
185 sed tamen ista mihi libuit permittere fato.  
186 Parte alia, quantum studiis mea gratia divum  
187 faverit, haud ulli ignotum est. Concessimus acres  
188 ut Lapithas bello Mars perderet, Euhius Indos  
189 subderet. Eversa penitus Calydone Diana  
190 conceptos vomuit flammati pectoris aestus.  
191 Te quoque terribili jaculantem fulmina dextra  
192 vidimus ac tristes Ajacem, filia, poenas  
193 solvere et afflictas scopulis haerere carinas.  
194 Non Agamemnonias in saxa Capharea puppes  
195 ventorum incertus tulit impetus ; affuit illic  
196 ira dei neque me fallit quo numine freta.  
197 Imperium Europae manus invasura Getarum  
198 Argolica jam nunc speret de gente triumphos.  
199 Invisas testor Lethaei gurgitis undas,  
200 me Trojae excidium graviter Priamique tulisse.  
201 At quibus affecti sumus, indulgere necesse est.  
202 Ignibus ex illis terras lux sparsa per omnes  
203 ingentem fulgore novo illustravit Olympum,  
204 et Romana graves solata est gloria casus.  
205 Haec et multa, quibus mea fit manifesta voluntas,  
206 praetereunda reor, ne me exprobrare putetis.  
207 Haec vero in primis moneo semperque monebo :  
208 efficite, ut vestras habitet concordia mentes,  
209 inque vicem vos diligite et mea jussa meosque  
210 observate pii monitus, placidamque remoto  
211 pacem animi livore colat, me qui colit idem !  
212 Munere quisque suo fungatur ut ante, nec ullus,  
213 cur ita sit, cur non, cur hoc illudve probatum,  
214 ulterius, quam scire decet, perquirere tentet.  
215 Sed non parva die quoniam pars acta suisque  
216 ferme omnis laribus divum se turba recepit,  
217 nescioquid rerum mediter. Tu nuntia mentis,  
218 Iri, meae, cum lux orietur crastina mundo,  
219 illicet accitos ad me omnes ire jubebis.  
220 Tunc, mea quo penitus vergat sententia, pandam.  
221 Post etiam rabidos armorum arcere furores  
222 diraque sanguinei disperdere semina belli  
223 est animus, felix venturi temporis omen".  
224 Jupiter hic verbis finem dedit. Omnis at illo  
225 caelicolum surgente manus permulta locuta est,  
226 indictumque avidi suspensis mentibus omnes  
227 concilium exspectant ipsumque ad limina sacrae  
228 interiora domus jam sole cadente reducunt.  
229 Vix novus expulerat taciturnas Lucifer umbras,  
230 non ignara viae Thaumantis filia jussum  
231 carpit iter totoque deos accersit Olympo.  
232 At Cytherea suo comitata Cupidine celsam  
233 contulerat se forte Paphon nec talibus orsis  
234 affuit. Ejus enim solemni Cyprus honore  
235 natalem tunc laeta diem celebrabat, et atras  
236 ante fores dominae absentis sopita jacebant  
237 otia, servabant vigiles penetralia Curae.

238 Longus ad occasum limes se extendit ab ortu  
239 stellantis medius convexa per ardua caeli,  
240 quem candore suo lactis de nomine nomen  
241 accepisse ferunt, Jovis unde palatia mos est  
242 tendere caelitibus gratosque videre recessus.  
243 Hic nulla fabricata manu se machina tollit,  
244 quam nequeat solers hominum facundia, qualis  
245 quantave sit, fando exprimere et laudare decorem  
246 eximium nec fas animo comprehendere cuiquam.  
247 Hanc pater omnipotens olim consurgere dicto  
248 ocus atque operi decus omne accedere jussit.  
249 Hinc atque hinc celsas meritis et honore verendi  
250 caelicolae tenuere domos. Argenteus auro  
251 crustatur paries. Videas insignia divum  
252 nomine quaeque suo variis caelata metallis.  
253 Diversorum operum decorantur imagine mira  
254 androdamantei postes, gradibusque superbum  
255 Puniceis ad limen eunt. Adamante columnae  
256 perfectae artificii circumstant atria nexu  
257 porticibus vallata suis ac fornice crebro.  
258 Egregius thalamos labor et conclavia luxu  
259 regifico insignit. Tagus et Pactolus et Hermus  
260 non illas aequavit opes, nec lucida Rubri  
261 ora maris, toto nec sunt tot in orbe colores.  
262 Fulget iaspidibus paries, ardentque pyropi  
263 eminus, et varios opalos panchrosque videres  
264 lumina multiplici trahere in diversa nitore.  
265 Splendida chrysolithos apyrusta intermicat, alba  
266 Sardonychi sociatur ion, laetosque smaragdus  
267 oblectat spectantum oculos et corda nitore.  
268 Innumerabilibus radiant laquearia gemmis.  
269 Aurea non desunt fontes et amoena vireta,  
270 laudatae cantu volucres ac tecta pererrant.  
271 Hic procerum locus est. Populi pars cetera sedes  
272 diversas tenet astriferum divisa per orbem.  
273 Omnia quae magna voluit ratione deum rex  
274 jam tunc sic fieri, cum terras, aequora, caelum  
275 prospiciens rebus rapido secrevit ab igni.  
276 Talibus at per se felicia numina quamvis  
277 non egeant et summa boni et sincera voluptas  
278 aetherei regis divina in fronte morentur,  
279 illa tamen superum voluit pater addere regnis  
280 ornamenta suis, duplici ne gratia desit  
281 ulla polo aut aliquid sit cuiquam optare necesse.  
282 Ergo ubi parentes dicto Saturnius ad se  
283 convenisse videt superos strepitemque per aulam  
284 ingentem attolli magno cum murmure sentit,  
285 progreditur thalamo atque altas contendit ad arcis  
286 sidereae sedes, ubi curia panditur ingens  
287 concilio, summis quoties de rebus agendum.  
288 Electro atque onyche et multo pinguntur achate  
289 ordinibus certis discreta sedilia divum.  
290 Jupiter hic solio medius consedit in alto,  
291 cui multum Aetnaeis insudavere Cyclopes  
292 rupibus. Hic omnem Phlegraeam ex ordine pugnam  
293 cernere erat stratosque immani fulmine fratres.

294 Aurea gemmarum triplici gravis orbe corona  
295 obnubit crines. Sumptu mirabile et arte  
296 dextra gerit sceptrum. Sublimi argentea pennas  
297 vertice pandit avis, quae tela trisulca Tonanti  
298 suggerit igniferis Vulcano exulta caminis.  
299 Olli vestis acu pictis amethystina limbis  
300 induerat sacros artus, ubi Cecropis omni  
301 diva magisterio sese vertentis in orbem  
302 bis geminas partes et munera fecerat anni.  
303 Flore comam cinctum in viridi Ver ibat amictu  
304 ante alios hilari vultu, dextraque gerebat  
305 Lilia pubentesque rosas, violasque canistro  
306 miscuerat simul et varios sine fine colores.  
307 Nuda coronatis spica flavente capillis  
308 falce secat messes Aestas paribusque manipulis  
309 per campum in cumulos simul agglomerarat aristas.  
310 Cui fluidus rivis sese rubicunda per ora  
311 sudor agit tostosque humectat labilis artus.  
312 Vimineis epulae calathis servantur agrestes,  
313 nec decocta Ceres nec Bacchi munera desunt  
314 lenitura sitim, patulisque veterrima ramis  
315 messorum congesta tegit velamina quercus.  
316 It caput ornatus pomis Autumnus et uvas  
317 colligit. Effusae populant vineta puellae  
318 atque graves lenta abscindunt de matre racemos,  
319 ingentesque lacus mustis spumantibus implet  
320 turba comes et pampinea se fronde coronat.  
321 At pluviam secum adducens ventosque nivesque  
322 subsequitur glacialis hiems, tremebundaque membra  
323 plurima pellis obit nodo substricta tenaci.  
324 Innumera rerum facies compage caputque  
325 obstruitur, ne qua ventorum flamina laedant.  
326 Post duplices manibus tunicas surisque cothurnos  
327 inducit solesque pedes crepitantibus armat.  
328 Et tot operta modis semper desiderat ignes.  
329 Talis erat magni cultus Jovis. Inde, ubi visum,  
330 incipit et sacro hanc ducit de pectore vocem :  
331 "Humani quondam generis delicta perosus  
332 bis terras hominesque, dei, tum quicquid ab alto  
333 despicitur caelo, mersi fatalibus undis ;  
334 nec Phaethonteos ignes restrinximus, ante  
335 maxima quam mundi pars deflagaverit aestu.  
336 Paulatim sed me pietas revocavit ab ira,  
337 quaeque novas iterum colerent animantia terras  
338 restitui nec non revivescere mollia jussi  
339 gramina et in ramis virides coalescere foetus.  
340 Nec tamen iccirco melior stirps nata priore est.  
341 Illius implacidas nulla indulgentia mentes  
342 lenit, et ad rectum nulla formidine possunt  
343 induci ; concreta manet sub pectore labes.  
344 Quid loquar infecto letales aere morbos  
345 atque graves rerum eventus portentaque dira  
346 et varias clades hinc inde et tristia bella  
347 et scelerum poenas metuendaque Tartara Ditis,  
348 mortales quibus admoniti desistere tandem  
349 turpibus a vitiis faciemque horrere malorum

350 debuerant et pulchra sequi vestigia laudis ?  
 351 Omnia sed frustra. Neque enim mala crimina cessant,  
 352 inque dies aliquid pejus turba impia semper  
 353 molitur jussisque negat caelestibus aures.  
 354 Non tamen omnino perversam extinguere gentem,  
 355 amplius institui, donec stata venerit hora,  
 356 ut certum immoto decurreret ordine fatum.  
 357 Prima sed a saeculis quantum praesentibus aetas  
 358 differat et quantum ob noxam moresque protervos  
 359 amisere boni, tandem ut cognoscere possint,  
 360 ipse virum magna virtute prioribus illis  
 361 aequandum clarumque pari pietate creabo.  
 362 Illum etenim nasci volumus, quo numina ritu  
 363 nascuntur, nullis vinculis nec legibus ullis  
 364 mortalis thalami debentem, nostra quibus nunc  
 365 derogat expensa rerum ratione potestas.  
 366 Ille patrum ingentes animos superabit et acta,  
 367 caelitibus nova templa dabit medioque tumultu  
 368 armorum populos tranquilla in pace tenebit.  
 369 Stirpe ab Atestina decus hoc Ferraria namque  
 370 sic placitum laeta accipiet lateque per omnes  
 371 Borsius hoc illi nomen celebrabitur oras.  
 372 Justitia insignis patrias ubi rexerit urbes,  
 373 astra petet numeroque deum sese optimus addet  
 374 proximaque Astraea merito loca sidere fulgens  
 375 incolet atque suos caeli miseratus ab arce  
 376 damnabit votis aderitque precantibus ipse".  
 377 Dixit et alatis pedibus sua ferre per auras  
 378 Mercurium mandata jubet : "Vade", inquit, "et altam,  
 379 nate, Paphon levibus pede lapsus ab aere pennis !  
 380 Illic formosa pulcher cum matre Cupido  
 381 festa colit celebratque diem, quo nata Dione.  
 382 Hunc verbis affare meis et talibus insta :  
 383 "Alme puer caeloque potens terraque marique,  
 384 Jupiter haec tibi me celeri deferre volatu  
 385 imperat. Italico celsis urbs proxima Rheno  
 386 moenibus assurgit ; partem sibi vindicat hujus  
 387 Flaminiae regio, partem sibi Gallia poscit.  
 388 Par Veneri forma thalamosque perosa jugales  
 389 Adriacis illuc virgo migravit ab oris,  
 390 quae Tolomenea genus alta ab origine ducit  
 391 et patriam te, Sena, refert, verum inde profecti  
 392 Ferrariam auspiciis superis tenuere parentes.  
 393 Stella sed ardentem sic illam. Nomine dicunt  
 394 Nicoleon fugiens Estensem et amare repugnans,  
 395 ut modo retulimus, Bentvolia venit in arva,  
 396 certa sequi innuptae leges vitamque Dianae.  
 397 Illius ergo tuis propera lenire, Cupido,  
 398 artibus ingenium, blando ne pugnet amori.  
 399 Namque suo felix clarissima pignora partu  
 400 in lucem dabit et natis comitata duobus  
 401 aethereas olim sedes veneranda tenebit.  
 402 Horum primus avos meritis Leonellus et alta  
 403 ingenii ratione suos post terga relinquet ;  
 404 alter ad imperium populis mirantibus ultro  
 405 virtutem accitus, longe mortalia facta



406 atque hominum mortalis adhuc anteibit honores,  
 407 et mansura diu terris fama inclyta Borsi  
 408 solis ad occasum solis referetur ab ortu.  
 409 Maximus hac etiam veniet de stirpe sacerdos,  
 410 Aeneas primum Aeneae de nomine magni,  
 411 inde Pius tendens majora ad munera dictus ;  
 412 cognato Stellam contingere proderit illi  
 413 sanguine et ex hisdem. Traxisse parentibus ortum".  
 414 Haec sunt, aligero quae nunc te dicere Amori,  
 415 nate, velim. Post haec placidis illabere somnis  
 416 virginis atque refer, quae sit sententia nobis ! "  
 417 Dixit, et audito tantorum nomine regum  
 418 obstupere dei. Tum magni coepta parentis  
 419 consiliumque probant, abeuntem laeta sequuntur  
 420 et circumfuso comitantur numina coetu.  
 421 Martem e concilio turbatum et multa minantem  
 422 discessisse ferunt, quoniam sua bella videret  
 423 imperio prohibenda Jovis tranquillaque partu  
 424 saecula pace dari atque auferri gentibus arma.  
 425 Audiit haec absens, Cyprumque ubi pulchra reliquit,  
 426 continuo precibus Venus est aggressa furem  
 427 ac suadet parere Jovi et componere mentem.  
 428 Hortatur blandisque amplexibus oscula junxit  
 429 atque truces iras dulci dea lenit amore.  
 430 Jamque odoratis tenues talaribus auras  
 431 findit Atlantiades virga piceoque galero  
 432 insignis totumque pari se examine librat  
 433 atque oculis metitur iter, quo tendere jussus.  
 434 Et modo per liquidum trepidantibus aera pennis  
 435 remigat acceleratque fugam, ceu Martius olim  
 436 sublimem accipiter magnis terroribus actam  
 437 cum procul insequitur per nubila densa columbam ;  
 438 et nunc immotis caelo sublabitur alis  
 439 paulatim, similis puppi quam turbine vasto  
 440 horridus impulerat Boreas resonante profundo  
 441 (continuo flatus si forte resederit omnis  
 442 et nautae sua vela legant, tamen impetus illam  
 443 primus agit nullo ventorum aut remigis usu).  
 444 Talis ab aetherea veniens Cyllenius arce  
 445 pennigero terras transmittit et aequora cursu.  
 446 Atque cavas penetrat nubes primumque relinquit  
 447 post sua terga diem et rapidis ardoribus ustas  
 448 desertasque plagas pernicibus effugit alis.  
 449 Ignorata diu mortalibus insula magno  
 450 cingitur Oceano, grandes ubi littora conchae  
 451 nobilibus decorant gemmis Chalybumque metalla  
 452 divitibus venis ubi terra effundit et aurum,  
 453 Terra, Lycaonii penitus quae sideris experts  
 454 extra orbem jacet, emissis ubi navita solers  
 455 alitibus scrutatur iter sequiturque volantes  
 456 immotis oculis fugitivaque littora quaerit.  
 457 Hanc terram Alcidae gratam nomenque colentem  
 458 Herculeum ac templis sollemnina dona ferentem  
 459 ad laevum Aurorae positam latus impiger Arcas  
 460 nomine Taprobanen obliquo lumine cernit.  
 461 Dulcibus hic volucrum resonat concentibus aer

462 purior, et liquidis tenui per amoena susurro  
463 culta vagantur aquis sinuoso tramite fontes.  
464 Plurima nectareos fetus et suavia poma  
465 Felix arbor alit, redolet cedreia Tempe,  
466 Punica pallenti sub cortice grana rubescunt,  
467 grandia quae praestare suis non Africa succis,  
468 non Campanus ager, non fertilis ora Dicarchi,  
469 non Caieta neget nec Iberia, Gnosia tellus  
470 aut sylvae Alcinoi ; riguis non deficit hortis  
471 gramen ; mille simul depingunt prata colores.  
472 Frugibus immensis regio non indiga Bacchi  
473 agricolae votum exsuperat biferoque laborem  
474 solatur fructu, semperque exuberat annus.  
475 Lanigero pecori atque ingentibus herbida tauris  
476 pabula sufficiunt, nec formidanda ferarum  
477 agmina per valles errant venatibus aptas.  
478 Juniperi laurique et coniferae cyparissi  
479 et longis palmae foliis et pinus acutis  
480 sponte sua surgunt, at sidera vertice tangunt  
481 Chaoniae quercus, et habent sua flumina pisces.  
482 Gens patrio contenta solo, contenta quiete  
483 Pacem agitat servatque suas aequissima leges.  
484 Illic fata diu cunctis animantibus aiunt  
485 parcere nec dulcis seriem interrumpere cursus,  
486 donec sera dies pariat fastidia vitae.  
487 Temperiem his tantam caeli pretiosaque dona  
488 indulisit natura locis, ostendere vires  
489 ipsa suas cupiens ; hominum quoque tradidit ingens  
490 corporibus magnis robur faciemque decoram  
491 et rigida mores dedit asperitate carentes.  
492 At deus hinc mites Seras celebresque labore  
493 lanicii sylvestris adit patriumque per amnem  
494 Psitharacas videt ire rates portuque petito  
495 permutare novas concordiae foedere merces.  
496 Atiani mox unda sinus Ciconesque volanti  
497 occurrunt, Stygia infecti caligine vultus,  
498 porrecto informes rictu labroque tumentis,  
499 sanguineis horrendi oculis et crinibus hirsis.  
500 Dextera Caucaseos apices scopulumque Promethei  
501 monstrat et Hyrcanos infestaque tigribus arva  
502 Massagetarum manu promptos nec lactis egentes  
503 atque canum insignes praeclaris laudibus olim  
504 Albanos ; hinc se tellus ostendit Ibera,  
505 gens animo praestans inimica quietis et otii.  
506 Caspia dehinc subeunt immitibus aspera saxa  
507 littora et immensum pelagus patrioque vagantes  
508 orbe Scythae et gelidas regio quae vergit in Arctos.  
509 India laeva deo est, in qua non segniter armis  
510 formicas aurum effodere et servare sub iisdem  
511 fama refert superingesta tellure cavernis ;  
512 pervigili studio peracutis unguibus ipsae  
513 ingentes rostroque immani et grandibus alis  
514 praedonum exagitant saxosa per avia turbam  
515 comprehensosque necant et membra trementia mandunt.  
516 Parte alia ditem Rubri maris arduus oram  
517 spectat, ubi varios gemmarum ripa colores

518 spargit et immenso radiat preciosa nitore ;  
519 horrendos hominum effigies vultusque ferarum  
520 terribiles videt atque Indae miracula terrae.  
521 Mox illi virides sylvae campique feraces  
522 occurrunt, quos saepe rigat felicibus undis  
523 Acesines, Hypasis, Ganges, Hyarotis, Hidaspes  
524 atque Indus, permulta suo qui maximus amnis  
525 flumina suscipiens rapido petit aequora cursu ;  
526 caeruleosque secans discreto limite fluctus  
527 immutata diu proprium tenet unda colorem.  
528 Jamque sagittiferos Parthos palmisque refertam  
529 Persida et Assyrios ac turrigerae Babylonis  
530 prisca Semiramis cernit perfecta labore  
531 moenia et eversam Beli, haud imitabile cuiquam  
532 regis opus, molem accedit fratrumque sepulchrum.  
533 Proxima succedit regio, quam Tigris ab ortu  
534 irrigat ; at partes, Zephyrus quas perflat et Auster,  
535 maximus Euphrates sinuosis alluit undis.  
536 Illa quidem angustos in longum uberrima fines  
537 porrigit ac nullo penitus discrimine totum  
538 aequavit natura solum ; res nominis illi  
539 causa fuit, quoniam geminos interjacet amnes.  
540 Sindonium involvens capiti velamen in orbem  
541 ad numerum extrema pendentibus aure lapillis  
542 haud procul hinc Bactranus abest, non inscius arcu  
543 vulnera dirigere et patrio insultare camelo.  
544 Post Drangas sparsi montana per avia Sacae  
545 apparent ; Arabum spirantes captat odores  
546 naribus atque iterum Euphratem Tigremque fluentes  
547 vallibus Armeniis Panchaeaque prospicit arva ;  
548 nigrantes a fronte Syros et Amania saxa,  
549 teque, tui nomen, palmosa Seleucia, regis  
550 quae retines et Orontis aquas fecunda rigantes  
551 culta bibis, levibus tangit Caducifer alis.  
552 Dissimiles habitu inter se nec moribus iisdem  
553 nec lingua similes populos ingentia circum  
554 terga patris Tauri positos rupesque Ceraunos  
555 protinus exsuperat ; mox praedatricibus adsunt  
556 classibus infames Lycii Cilicesque, priusquam  
557 Pompeo tantum merito piratica laudis  
558 undique pacato peperisset laurea ponto.  
559 Heu, quam post celebres pugnas latosque triumphos  
560 mors optanda fuit, Pharii miserabile regis  
561 ne socer aspiceret lacrimoso lumine munus !  
562 Te quoque cedrifero, sublimis Amaxia, colli  
563 impostam Tegeaeus adit, quam cedere regni  
564 in partem, Cleopatra, tui navalibus aptam  
565 praesidiis Latii ducis indulgentia jussit.  
566 Inde Solos atque Arsinoen Tharsonque relinquit  
567 florentem ingeniis quondam et virtute virorum ;  
568 quique secas mediam lymphis candentibus urbem,  
569 frigidus interdum volvens rapidissimus unda,  
570 interdum stagno similis, pulcherrime Cydne,  
571 te super ingenti volitans cum flamine fertur.  
572 Haud procul apparet fulvo celeberrima nimbo  
573 et dilecta Jovi Rhodos ; hinc venerabile vatis

574 Carpathii specus et pueri testantia casum  
 575 aequora se ostentant ; divinae sidera frontis  
 576 si libet in partem paulum flexisse sinistram,  
 577 condita Pellaeo despectet moenia regi  
 578 et vigilem semper Pharon horrentemque Canopum  
 579 ac Nilum, qui monstriferas septena per ora  
 580 in mare ducit aquas implorantesque colonos  
 581 exoratus adit sitientiaque irrigat arva  
 582 gurgite nimbifero, ignotis caput abditus oris.  
 583 Haec super innumeros dextra laevaue jacentes  
 584 transgreditur populos et nantes Cycladas undis,  
 585 donec in apricam torquet talaria Cyprum.

## LIBER SECUNDUS

B\_2 v.1 Est locus, Aegaeis ubi fluctibus ardua rupes  
 2 imminet ac longo prorumpit in aequora tractu  
 3 dorsum ingens Chromion veteres dixere coloni  
 4 Belus ubi templum, Cypri dum regna teneret,  
 5 Idaliae fertur Veneri posuisse ministrosque  
 6 ac vigilem sacrasse ignem solemnibus aris  
 7 luciferasque faces statuisset in culmine templi,  
 8 deprensi tenebris et tempestatibus acti  
 9 quo dubios nautae scirent intendere cursus ;  
 10 huncque diu morem perhibent servasse nepotes.  
 11 Huc se demittit Maia satus et procul omnem  
 12 colle sedens tacito regionem lumine lustrat.  
 13 Inde pharetrati genitricem vidit Amoris  
 14 ire coronato per florea compita curru.  
 15 Quattuor ante rotas miri candoris olores  
 16 mulcebant cantu dominam pariterque volabant  
 17 candida purpureis frenati colla capistris ;  
 18 turba columbarum modo praevolat et modo ludit  
 19 commiscens rauco pugnancia murmure rostra.  
 20 Illius auratos praecingit myrtea crines  
 21 intertexta rosis et citri flore corona ;  
 22 gratia dulcis inest oculis et amabilis ardor.  
 23 Ipsa vagos triviis populos sua sacra canentes  
 24 prosequitur placide nimbo velata nec ulli  
 25 cernitur ; alta sonante clamore Cythera  
 26 et nemus Idalium et genialis littora Cypri.  
 27 Filius ad laevam sublimi insederat axi  
 28 floribus ornato variis myrtoque virenti,  
 29 cornigerumque tenens arcum pictamque pharetram  
 30 nobilium auratis figebat pectora telis.  
 31 Pone sequebantur magno simul agmine Amores  
 32 plebeia de stirpe sati furtivaque caeco  
 33 vulnere in ignotum torquebant spicula vulgus.

34 Mollibus in rhedis Charitesque et blanda Voluptas  
35 ibant et Psyche jam conciliata Dione ;  
36 et Decor et cupidae titubans Fiducia mentis,  
37 Fraude capi metuens, Maciesque et Pallor et Error  
38 Iraque et Insidiae et Livor sinceraque raro  
39 Gaudia quaeque suis alitur Spes credula votis  
40 composita ex ebore atque ebene venere quadriga.  
41 Ast Odium certaue carens ratione Voluntas  
42 et queruli Gemitus Lacrimaeque et cordis Amaror  
43 his quoque se jungunt dominamque sequuntur euntem.  
44 Huc se continuo celsis de collibus Arcas  
45 contulit et, postquam aeterni mandata parentis  
46 egit, ad Hesperium volitans iter arripit orbem  
47 atque tuos cursu properante, Bononia, muros  
48 nocte subit media Stellaeque ad limina tendit.  
49 Nescia fatorum nullaue exercita cura  
50 carpebat virgo placidam Tolomea quietem.  
51 Extemplo ingreditur thalamum, dehinc talia fatur :  
52 "Stella, decus terrae, magnorum cura deorum,  
53 Jupiter haec tibi me celeri deferre volatu  
54 imperat ; et divum interpres tibi nuntius adsto.  
55 Hac servasse tenus leges vitamque Dianae  
56 et nescisse virum satis est. Jam pectore amorem  
57 accipe et Estensis tandem ne despice vota !  
58 Rex superum egregiam sobolem tibi, candida virgo,  
59 promittit caelumque dabit, natisque duobus  
60 aethereas olim sedes veneranda tenebis.  
61 Horum primus avos meritis Leonellus et alta  
62 ingenii ratione suos post terga relinquet ;  
63 alter ad imperium populis mirantibus ultro  
64 virtutem accitus longe mortalia facta  
65 atque hominum mortalis adhuc anteibit honores,  
66 et mansura diu terris fama inclyta Borsi  
67 solis ad occasum solis referetur ab ortu.  
68 Maximus hac etiam veniet de gente sacerdos,  
69 Aeneas primum Aeneae de nomine magni,  
70 inde Pius tendens majora ad munera dictus ;  
71 cognato Stellam contingere proderit illi  
72 sanguine et ex iisdem traxisse parentibus ortum.  
73 Quare, age, ne dubita duram deflectere mentem  
74 neve Jovis magni jussis parere recusa,  
75 tantum et tale decus terris caeloque datura ! "  
76 Dixit et alta Notis spirantibus astra petivit.  
77 Jamque illic aderat peragens mandata Cupido  
78 formosaque manu peracutae cuspidis acer  
79 deligit auratam pharetra pendente sagittam ;  
80 tum fortem incurvans deductis cornibus arcum  
81 virginis ignoto praecordia vulnere fixit  
82 ac dulces furtim inspirans afflavit amores.  
83 Quae postquam arcitenens egit deus, illicet omnem  
84 discedens magno thalamum fulgore replevit.  
85 Talibus excutitur somno conterrita visis  
86 atque deum formas et jussa ingentia virgo  
87 miratur tacitaue volutat singula mente.  
88 Et modo falsa putat vanos ea fingere somnos  
89 et modo vera deum credit se numina coram

90 conspexisse, suoque haec secum pectore versat :  
91 "Stella, quid hoc dices ? Errantia somnia num te  
92 decipiunt umbraeque leves et inanis imago ?  
93 An tibi non fictae steterint ante ora videnti  
94 effigies vocisque tuas sonus attigit aures ?  
95 Sic reor, atque oculis lux illa effusa per umbram,  
96 quae placidum obrupit subita novitate soporem,  
97 est aliquid ; neque me securam haec somnia relinquunt,  
98 et vereor tanto ne quis dolus adsit honori.  
99 Quicquid id est, conserva castamque tibi dicatam,  
100 Cynthia, virgineasque preces ne despice virgo ! "  
101 Audiit ac Stellae frustra latoia sortem  
102 indoluit gemitumque dedit sententia perstat  
103 immutata Jovis, nec contra tendere fas est.  
104 Illam multa suo suspensam corde moventem  
105 atque alto huc illuc insomnem membra cubili  
106 versantem his nutrix affatur Olympia dictis :  
107 "Quis novus insolitis casus te, dulcis alumna,  
108 implicuit curis interrumpitque soporem ?  
109 Sensi ego jam dudum vigilans te ducere noctem.  
110 In longum expertem somni placidaeque quietis.  
111 Fare, precor, si quid mentem contristat et angit !  
112 Ne dubita arcanos fidei committere sensus.  
113 Nata, meae ! scis, te quanto complector amore.  
114 Tu requies, tu vita mihi, tu sola senectae  
115 spes et dulcis honos, in te mea vota residunt.  
116 Nec mea te propter tentare industria quicquam  
117 nam nihil ipsa cupis nisi recta et honesta recusat".  
118 Stella refert : "O cara mihi super omnia nutrix,  
119 nulla tibi rerum, quaecumque erit illa, mearum,  
120 dum vita fungar, series ignota manebit,  
121 atque mihi tecum nil non commune putabo.  
122 Namque ubi me genitrix vitales fudit ad auras,  
123 in manibus vagisse tuis tuaque ubera primum  
124 admotis traxisse feror lactantia labris,  
125 infantemque pio fovisti sedula cultu.  
126 At postquam erepta est mater carissima fatis  
127 ipsa puellares ingenti protinus annos  
128 rexisti affectu, et solum matris tibi nomen  
129 defuit atque vices egit tua cura parentis.  
130 Quare animum dictis adverte, atque omnia pandam".  
131 Sic ait ac memorat, quae mentem insomnia nuper  
132 turbarint, faciesque refert habitusque deorum  
133 et mandata Jovis promissaque et aurea narrat  
134 spicula et immenso thalamum fulsisse nitore.  
135 Omnia quae postquam didicit fidissima custos,  
136 conticuit paulum atque animum per singula duxit.  
137 Tunc sic orsa loqui : "Nihil est, o filia, quod te  
138 sollicitet ; neque enim fallacis imagine somni  
139 esse potest quicquam levius, cui credere vanum est.  
140 Ut reor, Estensi nihil Itala dignius usquam  
141 principe terra tulit. Vidi semel ipsa Philippum  
142 insubrem, vidi insignem Guidacion armis  
143 et Malatestigenas fratres juvenemque superbum,  
144 inclyta fatidicae parent cui moenia Mantus,  
145 compluresque alios, quorum mihi nomina longum

146 dicere, sed cunctis certe praestantior ille  
147 Nicoleos ; qui, seu belli seu pacis ad artes  
148 respicias, hinc egregie respondet et illinc.  
149 Adde, etiam ipse tuo jam pridem captus amore  
150 ardet et ante alias Stellam desiderat omnes.  
151 Praeterea nulli hunc tam longo tempore casus  
152 vertere ab incepto, nulli potuere labores  
153 frangere, dura licet te propter plurima constans  
154 regali posito fastu sit passus amando.  
155 Non humili de plebe satus, sed origine clara  
156 majorum illustris nec cuiquam laude secundus ;  
157 qui genus omne hominum donis et honore benignus  
158 prosequitur, ceu fama refert, pulcherrima cujus  
159 auspiciis placida gaudet Ferraria pace.  
160 Huic te si vinclo sociarent fata jugali,  
161 credo equidem, haud Latias te fortunatior inter  
162 nuberet ulla nurus. Id nobis saepius ipse  
163 pollicitus. Sed enim non omnia credere tutum est ;  
164 et te virginei famam servare pudoris,  
165 legitimis tibi se thalamis nisi junxerit, hortor.  
166 Quod procul a recto est, quamvis prodesse putatur,  
167 Stella, fuge ! Aequatas ubi justis examine lances  
168 videris atque suos fines tutatur honestum,  
169 conandum est, ut, dum licet, amplectaris utrumque.  
170 Quodsi forte parant aliquid praedicere divi  
171 et pater omnipotens tibi magna interprete misso  
172 pollicitus parere jubet, nihil ipsa repugno.  
173 Quis namque auspiciis superis quaecumque geruntur  
174 improbet aut illis demens se opponere tentet ?  
175 Interea tamen hanc ipsis permittere curam  
176 esse reor satius ; tum res tempusque monebunt,  
177 quid deceat, quid sit nobis optare necesse,  
178 invenientque viam superi, quam, Stella, sequamur".  
179 Haec ubi dixit anus, rursus vigilantia dulci,  
180 dum redit alma dies, monuit dare lumina somno.  
181 Nec vero, quamvis cuperet, Tolomeia virgo  
182 comprimere insolitos motus et pectoris aestum  
183 aut curas arcere valet frustra laborat  
184 optatam invitis oculis captare quietem.  
185 Instat Amor furtim rapidosque sub ossibus ignes  
186 improbus accendens aegram quatit undique mentem.  
187 Tum superum oblatas facies summique Tonantis  
188 imperia ipsa sibi proponit et undique magnis  
189 concutitur stimulis ; ferox hinc Amor urget et illinc.  
190 Non tamen implicitam mentem ulla obscaena cupido  
191 polluit, insano castus nec terga furori  
192 dat pudor, et nulla maculantur pectora tabe.  
193 Impositam Ligurum velut altis montibus arcem  
194 cum simul hostiles circumsedere catervae,  
195 hi scalas ignemque ferunt, hi proelia aperto  
196 Marte gerunt, alii caecos tellure sub ima  
197 occulti infodiunt aditus, pars illa per altas  
198 quaerit iter cautes et scandere moenia tentat ;  
199 viribus at pubes validis inclusa resistit  
200 tutaturque domos atque hostem submovet armis.  
201 Haud aliter varia curarum mole fatigat

202 Stellam durus Amor, magni sed plena vigoris  
203 stat ratio atque animi candor manet ille pudici.  
204 Atque ea dum caelo pariter terraque geruntur  
205 consilio nutuque Jovis, Tolomeia virgo  
206 saucia dum primos sentire Cupidinis ictus  
207 incipit atque animo serpentem admittere curam,  
208 non minus absentis torquetur imagine formae  
209 Nicoleos totisque exaestuat ossibus ardor.  
210 Non illum, roseo vel cum procedit ab ortu,  
211 occiduo vel cum submergitur aequore, Titan  
212 invenit exutum curis animove quietum ;  
213 quaque potest dictis factisque inservit Amori.  
214 Et modo mutatis optatam cultibus urbem  
215 nescius ingreditur, caros visurus amores,  
216 et modo regali celebrat convivia sumptu  
217 largus et indulget festis sine fine choreis,  
218 interdumque novos lusus meditatur in armis  
219 certantum juvenum et simulati proelia Martis  
220 acer init validisque impingit viribus hostes  
221 et palmam egregia victor cum laude reportat.  
222 Rorifero medium conscenderat humida curru  
223 Luna polum et tacitis nocturna silentia terris  
224 sparserat, et dulci furtim volucresque ferasque  
225 amplexu sopor atque hominum genus omne fovebat.  
226 Sollicito interea juvenis sub pectore caecum.  
227 Vulnus alens nullam aut oculis aut mente quietem  
228 accipit, atque animo cura immortalis oberrat.  
229 Sensibus attonitis velut praesentia carae  
230 virginis ora videt, quamvis procul absit, et illam  
231 anxius alloquitur veluti responsa daturam  
232 multaue per noctem studio meditatus inani  
233 ingemit et lachrimis humentia lumina tollens  
234 sic ait : "Heu miseros et iniquae sortis amantes,  
235 quantum durus Amor gravibus sine fine dolentem  
236 suppliciiis vitam exercet nec respicit aequis  
237 luminibus tristisque sinit tabescere morbo !  
238 Tertius hic agitur revolubilis mensibus annus,  
239 ex quo formosam nostri Tolomeida primum  
240 conspexere oculi subitoque exarsimus igne,  
241 seu deus hanc seu quis sortem mihi casus iniquam  
242 obtulit, in saevis ut vita laboribus acta  
243 ante diem fugiens viridi me linquat in aevo.  
244 Hoc si Stella cupit, nostro si funere gaudet,  
245 nil renuo, nil fata moror ; finemque supremum  
246 nunc, precor, imponat florentibus Atropos annis.  
247 Sed tamen haud quemquam infelix hominumve deumve  
248 usque adeo laesi, tales ut solvere poenas  
249 debuerim. Potui multis prodesse meisque  
250 dedecori non esse, modo diuturnior essem,  
251 nec mea nunc mallent abrumpi stamina Parcae.  
252 Nil ego non egi, quo mentem agnoscere posset  
253 Stella meam gemitusque graves votumque fidemque.  
254 Illam ego per terras, illam sine fine per undas,  
255 rupibus Haemoniis veluti Peneida Phoebus,  
256 dum sequor ac mira latitantem indagine quaero  
257 anxius, haud timui gravibus me sponte periclis



258 objicere atque animo invicto cuncta aspera ferre.  
259 Praeterea, seu me placido genialia rura  
260 secessu villaeque tenent, Ferraria seu me  
261 accipit ac laetis redeuntem civibus offert,  
262 sive juvat regni latos invisere fines,  
263 quos mare Tyrrhenum supra quosque alluit infra,  
264 cui mea mansurum nomen dedit Adria pontus,  
265 seu procul externas hospes divortor ad oras,  
266 sive ego militiam sequor atque horrentia duri  
267 Martis in arma vocor laudumque animosa cupido  
268 audaci ingentes stimulos sub pectore figit,  
269 seu quid ago, seu quid meditor, noctesque diesque  
270 ad Stellam mens aegra redit ; namque omnibus illa  
271 posthabitis, ingrata licet, me possidet una.  
272 Sic nec saevus Amor nec me impia mater Amoris  
273 respiciunt et opem misero mihi ferre recusant ;  
274 nec precibus surdas crudelis porrigit aures  
275 Stella meis. Quid restat adhuc tandemque malorum  
276 tantorum quae finis erit, nisi ponere vitam  
277 ingratham, ut video, superis et forsitan illi,  
278 quam propter fuerat mihi dulce in luce morari ?  
279 Jupiter, avectae fraterna per aequora si non  
280 immemor Europae Inachios reminisceris ignes,  
281 dissimulare deum, varias adsumere formas  
282 saepius ac caelo terras praeponere si non,  
283 Rex hominumque deumque potens, tibi turpe putasti,  
284 nunc adsis, precor, atque horum miserere laborum  
285 et bonus afflictis aliquam spem porrige rebus !  
286 Nulla dies tanti me muneris arguet umquam  
287 immemorem nec parva tuis altaribus ipse  
288 dona feram statuamque tibi solemnia templa.  
289 Tu quoque, curarum requies, placidissime Somne,  
290 tandem oculis dignare meis obrepere et illam  
291 candida fac saltem referant insomnia amanti  
292 et miserum falsa sub imagine lude furorem,  
293 si nequeo veros aliter nunc cernere vultus ! "  
294 Dixerat atque imo suspiria mille trahentem  
295 corde Sopor Jovis imperio demissus ab astris  
296 occupat et placide resolutos dulcis in artus  
297 serpit et auguriis animum felicibus implet.  
298 Namque videbatur niveam cum cornibus aureis  
299 cernere pascentem florentia gramina cervam.  
300 Illius egregios pulchrae admiratus honores  
301 frontis et aspectum, qualem, quicumque videret,  
302 juraret non esse ferae, simul omnia laudat  
303 et simul exoptat studio flagrante potiri.  
304 Non tamen aut saevo conspectam laedere ferro  
305 sustinet aut rabidas animare in vulnera curat  
306 dira canes, praedae quamvis accenderet ardor.  
307 Sed quacumque fugam mox tentatura videtur,  
308 parte illa subito laqueos ac retia tendit  
309 praeccluditque omnes aditus, ne evadere possit.  
310 Hinc atque hinc celerique premit vestigia gressu  
311 atque ita in insidias trepidam compellere tentat.  
312 Illa ubi Nicoleon longe per gramina euntem  
313 vidit, cuncta pavens incertis cursibus errat.

314 Nunc cupit ad sylvas et ad invia tendere lustra,  
315 nunc peragrare fuga saltus meditabat apertos ;  
316 interdumque latet sylvestribus abdita dumis,  
317 interdumque metu posito per frondea tecta  
318 fert secura pedem et virides depascitur herbas.  
319 Ille autem multa latitantem sedulus arte  
320 eruit e latebris magnoque labore secutus  
321 perductam in laqueos victor sic denique cepit  
322 firmaque luctanti connectens vincula collo  
323 protinus abduxit. Juveni sua gaudia somnos  
324 abripiunt ; tacitam mox visa ad somnia mentem  
325 ipse refert et fausta suis cupit omina rebus  
326 ac meliora sibi sperat promittere divos.  
327 Dulcis enim rursus visis grataque tenebat  
328 illectum novitate Sopor placideque fovebat.  
329 Maximus ecce virum miseratus ab aethere jamque  
330 prospiciens populis et nostro Jupiter orbi  
331 Junonem Veneremque vocat, dehinc talia mandat :  
332 "Ite simul celeres et Felsina moenia, divae,  
333 labentes caelo simul et Tolomeia tecta,  
334 candida virgineos ubi somno molliter artus  
335 Stella fovet, petite ! Hinc thalamos intrate pudicos  
336 virginis et tacite nocturnas ferte sub umbras  
337 sopitam, ne qua nostris contraria coeptis  
338 obstet ! Iter vestrum post haec Ferraria sistet,  
339 urbs praeclara virum sobole et felicibus arvis  
340 atque eadem Estensis regni caput. Optimus illic  
341 Nicoleos longo Stellae correptus amore  
342 carpitur. Huic illam socialis foedere lecti  
343 jungite ! Cur sedeat menti haec sententia nostra  
344 jam satis edocui". Sic fatus ad oscula divas  
345 excipit et sacri indicium largitur amoris.  
346 Ast illae veterum, quibus exarsere tot annos,  
347 irarum oblitae parent Stellamque ferentes  
348 in jussum posuere torum, dum somnus amantem  
349 ignarum aetherei monitu Jovis altus haberet.  
350 Atque hic ter liquido tonitrus cum luce corusca  
351 insonuere polo et Charites felicia signa  
352 adventus tribuere sui magnumque repente  
353 fulgorem emisit Phoebia mirantibus astris.  
354 Ipsa quoque adsensu claro Saturnia favit  
355 ominibus Paphieque suos ibi fudit amores.  
356 Nec mora, sublimes his actis curribus ambae  
357 ad caelum rediere suis. Pavonibus illa  
358 ducitur, haec cygnis ; illos sua crista superbos  
359 reddit et artificum studio praestantior omni  
360 colla per haud unus color et per pectora ludit,  
361 dumque volant, pictae panduntur sidera caudae ;  
362 hi candore suo gaudent et dulce sonoro  
363 gutture certatim nullis imitabile carmen  
364 vocibus ad numerum modulantur et aera pennis  
365 pulsant. Nec celeres tenere utrique volatus,  
366 stellantis donec statuere in culmine Olympi  
367 ante Jovis solium dominas responsa ferentes.  
368 Mollibus inde jugis resoluti colla, virentis  
369 Elysii lucos fontesque et nota pererrant

370 pabula et ambrosiae saturantur corpora succo.  
371 Expulerat tenebras et opacae tempora noctis  
372 finierat Titan lucemque reduxerat almam.  
373 Tandem Nicoleos votis et amore potitus  
374 dis meritas grates pro tanto laetus agebat  
375 munere, blanda ferens trepidae solatia nymphae.  
376 Et jam fecundo fortunatissima partu  
377 ingentem aethereas Leonellum Stella sub auras  
378 fuderat atque brevi pulcherrimus intervallo  
379 Borsius ortus erat, Latio decus additus orbi.  
380 Illum prima suis manibus Lucina creatum  
381 sustulit ac primis roravit fontibus artus,  
382 oscula prima dedit, primos involvit amictus,  
383 prima ter, ut perhibent, solemnia murmure parvo  
384 verba susurravit teneras infantis ad aures  
385 successusque bonos portendit et omina fausta  
386 praedixit puero, venturi haud inscia fati.  
387 Nec minus exceptum gremio Tritonia fovit  
388 laetaque ridenti allusit neque amoris in illum  
389 signa minora dedit. Tum cunis molliter aureis  
390 compositum liquere ambae simul astra petentes.  
391 At Jovis imperio pueri fidissima custos  
392 excubat ante torum noctes Astraea diesque  
393 nec sera quamvis provectum aetate reliquit.  
394 Sed rapitur cursu properante volubile tempus  
395 et nihil esse diu patitur mortalibus ordo,  
396 quem statuit certa divina potentia lege.  
397 Namque modo geniti, Leonellus et altera proles  
398 Borsius, exactis ambo puerilibus annis  
399 jam pulchrae attigerant confinia prima juventae.  
400 Libera jam curis genitrix mortalibus inter  
401 sidera noctivagae lucebat proxima Phoebae.  
402 Nec minus Herculeo puerum de nomine dictum  
403 Sismundumque viro conjux Rigarda crearat,  
404 ambo animis, ambo insignes pietate futuros.  
405 Quin etiam Insubrum genitor longaevus ad oras  
406 et Belliguardi tectis Leonellus in altis  
407 mortalem exuerant resoluta corpore vitam.  
408 Multum bis ereptis decoris Ferrara, multum  
409 praesidii amisit ; turbataque protinus omnis  
410 maeret Atestino tellus quae subdita regno,  
411 quippe animos hominum terrebant omnia late  
412 armorum furiis saevoque frementia bello.  
413 Ecce duos meritis celebranda modestia fratres  
414 laudibus egregio pulchri in certamine facti  
415 discordes agit et grato pia pectora motu  
416 sollicitat variisque replet sermonibus urbem.  
417 Estenses fratres regali magnus in aula  
418 Parthenopem a genero missos Alphonsus alebat ;  
419 his procul a patria positus Leonellia proles,  
420 Nicoleos, tunc paene infans, succedere curis  
421 imperii minus aptus erat ; regnisque paternis  
422 hic status urbis erat, cum Borsi digna relatu  
423 ac Meliaducis discordia protinus orta est,  
424 consulere alterius dum nititur alter honori.  
425 Carus erat populo imprimis alacrique favore

426 Borsius et magno consensu ad regia primus  
427 scepra vocabatur tantaque ad pondera molis.  
428 Hic aetate minor, pietate inductus et aequo,  
429 nutanti fratrem imperio patriaeque saluti  
430 prospicere hortatur vacuasque capessere sedes,  
431 ne quicquam inter tot rerum discrimina possit  
432 incidere adversi et populos turbare quietos.  
433 "Gentis", ait, "nostrae soboles tu prima, neque adsunt  
434 Rigarda genitrice sati, et stirps unica fratris  
435 Nicoleos nondum pueriles attigit annos,  
436 defendi auxilio nec se Ferraria tali  
437 posse putat, si quis ferat ulla pericula casus,  
438 quae non pauca vides ardentibus undique bellis  
439 ingruere. Et tibi quod praesens fortuna merenti  
440 obtulit, et tua quod virtus clarissima poscit,  
441 aggredere et, si quid pro te mea gratia, si quid  
442 hic animus viresque valent monitusque fideles,  
443 utere et eventus promptum experieris in omnes ! "  
444 Sic ait atque ultro dextram dedit ipse fidemque.  
445 Alter ubi indicium tanti prospexit amoris,  
446 obstupuit tacite admirans et lumina fixit  
447 Terrae immota diu mentemque per omnia duxit.  
448 Tum meritas fratri grates laetissimus egit  
449 caraque fraternis amplexibus oscula junxit  
450 laudavitque simul lachrimans ; dehinc talia dictis  
451 reddidit : "Haud animum certe spemque ista voluntas  
452 jam pridem frustrata meam, carissime Borsi ;  
453 non tamen ingrato te offers, nec muneris hujus  
454 immemor inveniar, vel dum sinet Atropos alma  
455 luce frui vel cum hos vita spoliaverit artus.  
456 Tu vero, qui sponte tua nunc spernere tantas  
457 ausus opes tali officio mecum, optime, certas,  
458 dignus es imperio, cujus me sumere curam  
459 non sinit hic habitus et vita obnoxia sacris.  
460 Praeterea vates hac tempestate futurum  
461 nostra aliquem de stirpe ferunt, mortalia facta  
462 qui mortalis adhuc superet, deus ipse futurus.  
463 Illum ego te reor atque opto, di vota secudent".  
464 Talibus inter se studiis certamen alebant  
465 haec alternantes suspensaue corda tenebant  
466 mussantis passim populi regemque petentis,  
467 cum subito aetherea res finem invenit ab arce.  
468 Vos, quibus Aoniis de collibus abdita divum  
469 consilia et sacras fas est cognoscere mentes,  
470 vos mihi, Pierides, ingentis pandite facti  
471 occultam seriem mortalibus et date famam  
472 carminibus, ne rem ventura hanc nesciat aetas  
473 neu lateat, ductus fati cum Borsius urbem  
474 rexerit atque suae dederit nova nomina genti !  
475 Nota quidem vobis ea sunt atque omnia vestros  
476 saepe choros inter Phoebum cecinisse, puellae,  
477 credibile est ; vos illa decet nunc prodere vati.  
478 Eversas Juno Tyriae Carthaginis arces  
479 dilectumque solum ac veteres visura ruinas,  
480 nondum oblita loci, Samia veniebat ab urbe  
481 et caelum alitibus pictis invecta secabat.

482 Dum super Illyrici virides volat aequoris undas,  
483 prospicit Italiam longe flatuque sonoro  
484 ventorum ac gelidis pulsatas imbribus Alpes.  
485 Tum, pater in fluctus ubi porrigit alta marinos  
486 ora Padus, variis distincta coloribus illuc  
487 Diva citatarum convertit colla volucrum  
488 lora manu flectens in dextri littoris oram.  
489 Protinus Adriacas prospexit ab aethere terras.  
490 Hinc progressa pios fratres totamque jacentem  
491 Ferrariam in lacrimis et acerbo funere maestam  
492 vidit et immensum populi miserata dolorem est.  
493 Inde viam accelerans tali Thaumantida voce  
494 Alloquitur divamque jubet descendere caelo  
495 erectura novo afflictas solamine mentes :  
496 "Vade", ait, "o nostri fidissima pectoris index,  
497 atque illam, Eridani gemino quam flumine cinctam  
498 hinc atque hinc urbem turritaque moenia cernas,  
499 Iri, pete atque viris, quorum illic cuncta geruntur  
500 consiliis, ut non ignoras, nomine nostro  
501 talia jussa dabis, quae nemo obiisse recuset !  
502 "Luctibus imponi vestris Saturnia finem  
503 imperat. Haec facite, in populum atque in regna vocetur  
504 Borsius ! Ejus enim auspiciis Rugeria magnum  
505 nomen adepta caput stirps efferet, et vaga late  
506 hujus fama viri terra caeloque volabit".  
507 Conjugis omnino certa haec sententia nostri est".  
508 Dixerat ; illa fugit ventis festina vocatis  
509 ac dominae mandata ferens descendit ab alto  
510 ad terras delapsa polo, haud ignara locorum.  
511 Mox Augustino se offert, dum forte remotus  
512 secreta senior tectorum in parte sederet  
513 multa super populo meditans rebusque futuris.  
514 Huic Villaea dabat stirps non ignobile nomen ;  
515 sed meritis superarat avos princepsque senatus  
516 carus erat patriae. Quem sic Junonia virgo  
517 Alloquitur demitque graves de pectore curas :  
518 "Augustine, piis quem publica jura tenentem  
519 consiliis populus merito veneratur honore,  
520 me tibi magna Jovis demittit ab aethere conjux.  
521 Jam lacrimis saevoque datum satis esse dolori  
522 asserit imponique modum vult fletibus istis  
523 et promissa jubet fatis in regna vocetur  
524 Borsius. Hic fama terras cum impleverit omnes,  
525 tollet Atestinam factis ad sidera gentem.  
526 Haec animo sedit Jovis immutata voluntas.  
527 Hanc sequere ! Imbriferens ego sum, quam pellere nubes  
528 ac sudo apparere jubet Saturnia caelo,  
529 non imitabilibus variata coloribus Iris".  
530 Haec ait et volucris repetit levis astra volatu  
531 ocior ipsa Notis et magno cingitur arcu.  
532 Territus obstupuit primum Villajus heros  
533 admonitu tanto et praesentis imagine divae ;  
534 mox animo gavisus ait : "Quaecumque dearum  
535 voce tua jussisque hilaras caelestibus urbem,  
536 nuntia reginae ingentis sanctissima, salve !  
537 Te sequimur. Tu nostra tuo, dea, coepta favore

538 prosequere ! " Ad caelum palmas haec fatus utrasque  
 539 tollit et aetherei numen genitoris adorat.  
 540 Inde forum subito petit et reserata vocatis  
 541 curia completur patribus ; simul undique cives  
 542 atque magistratus coeunt, quibus ordine cuncta  
 543 pandit, et imperio properant parere deorum.  
 544 Nec mora, qui patriae portent mandata, leguntur  
 545 Nicoleos ac Paulus avis insignibus orti,  
 546 Stroccius ille, alter Constabilis, aptus uterque  
 547 magnarum rerum studio exercere fideli  
 548 munia ; seu populi, seu regum commoda poscant,  
 549 seu privata gerant, permansit notus uterque.

### LIBER TERTIUS

B\_3 v.1 Fama replet laetis quam primum vocibus urbem  
 2 mitti oratores, qui Borsum ad moenia ducant  
 3 seque peti fato doceant regemque creatum.  
 4 Jamque profecturos ingens juvenumque senumque  
 5 prosequitur manus ac studiis ardentibus omnes  
 6 optatum accelerant iter ac loca jussa requirunt.  
 7 Est prope Sandalidem ripam haud ignobilis ora,  
 8 prima Vicentinos profugos ubi tecta recessu  
 9 fama patres posuisse refert, asperrima divi  
 10 cum rabies Atilae Latias saeviret in urbes.  
 11 Nunc quoque saxa procul vastis disjecta ruinis  
 12 apparent celebrique locum sub nomine signant.  
 13 Haud longe hinc, primos ubi tendere solis ad ortus  
 14 incipis, occurrunt ad dextram mole superba  
 15 tectorum et thalamis praeclarae insignibus aedes.  
 16 Plurima marmoreis curvos effulta columnis  
 17 porticus innumeris sustentat fornicis arcus.  
 18 Atria lata patent fontesque imitata perennes  
 19 fundit inexhaustos dives structura liquores ;  
 20 egregio Parii lapidis speciosa labore  
 21 ora gradusque nitent, circumpositasque columnas  
 22 pingunt errantes per lucida marmora venae,  
 23 ipsa auro tegitur ; lymphae nitor ille salubris  
 24 invitat lenire sitim et gratissima praebet  
 25 pocula, cum stella Icarii canis ardet Olympo.  
 26 Hic vicina vagos cohibent vivaria pisces ;  
 27 nec virides horti desunt, generosaque fructum  
 28 pomiferis sylva arboribus largitur et umbram.  
 29 At procul e speculis et ab alto culmine turris  
 30 prospectare juvat campos collesque remotos.  
 31 Urbis opus credas, tot surrigit undique pinnas  
 32 ardua perpetuo murorum machina ductu.  
 33 Una soli tantum domus occupat : has tibi sedes,  
 34 Nicoleos, vir magni animi Pendallia quondam

35 curator fisci Estensis rerumque tuarum  
36 ingenti sumptu et studio vigilante locari  
37 jussit, ab aspectu nactas sibi nomen amoeno.  
38 Talibus extra urbem in tectis adiere morantem  
39 legati ac tristem Leonelli funere Borsum.  
40 Quos ubi perductos alta intra limina jussit  
41 dicere ; at astantes tenere silentia turbae.  
42 Paulatim vultus ab humo lachrymosaque tollit  
43 lumina ; dehinc placido Paulus sic incipit ore :  
44 "Si lacrimas, princeps, et amaros dicere questus  
45 urbis et infandum liceat memorare dolorem,  
46 nemo adeo ferus atque humani pectoris expers  
47 inter et Hyrcanas immitis vivere tigres  
48 assuetus, luctu quin commoveatur acerbo.  
49 Namque omnes regem Leonelli in morte patremque  
50 conquerimur simul ereptos, quippe optimus ille  
51 justitia patriam summa sanisque regebat  
52 consiliis ; neque honos deerat, neque gratia laudis.  
53 Quem miseris quoniam mortalibus invida nuper  
54 abstulit ac caelo fatalis Parca remisit,  
55 ad te confugimus teque unum poscimus omnes,  
56 o Borsi. Nam quem exspectet Ferraria ? Quaenam  
57 praesidia ulla magis firma aut propiora videntur ?  
58 An fore nos alio tutos sub rege putamus,  
59 finitimae huic populo cum tot simul horrida gentes  
60 bella gerant saevusque fremat prope moenia Mavors ?  
61 Tu bello, tu pace vales, tu gloria gentis  
62 prima tuae. Est aetas in te et mens commoda rebus,  
63 sunt animi, neque amor populorum et gratia desunt.  
64 Quid de te genitor Venetusque senatus et ille  
65 Carmignola, ducum summus, quidve ipse Philippus  
66 senserit et magnorum Alphonsus gloria regum,  
67 novimus ; ac quanti semper te fecerit ingens  
68 Italia, haud ulli obscurum est. Te barbarata tellus,  
69 te loquitur nostro gens omnis ab orbe remota.  
70 Te nisi vidisset talem, numquam omnia frater  
71 arcana et regni tibi commisisset habenas.  
72 Nec Meliaducem regali munere dignum,  
73 quem coram aspicimus tecum hic adstare, negamus.  
74 Sponte sua tamen ipse tibi concedit et ultro,  
75 ut fertur, stimulis ad cursum ingentibus urget.  
76 Herculis ac Sismundi aetas puerilis, et ambo  
77 nunc etiam absentes, et fratris filius infans  
78 Nicoleos quam spem nobis promittere possunt  
79 auxilii, sic qua oppressos fortuna fatiget ?  
80 Adde, quod in fati esse hoc accepimus olim  
81 te fore, qui magna patriam ditione gubernes  
82 et claros fama qui transgrediare parentes.  
83 Istud idem neque enim nos vana insomnia ludunt  
84 aethereis monuit veniens a sedibus Iris,  
85 quam nostri videre senes ; ac verba loquentis  
86 auribus hauserunt et jussi visa referre.  
87 Tot simul adducti cives rationibus in te  
88 curam omnem vertere et nos misere volentes  
89 atque tui cupidos, ut te ducamus ad urbem.  
90 Dis ergo auspiciis nobisque precantibus ultro,

91 quod virtute prius studuisti et laude mereri,  
92 delatum a populo feliciter accipe regnum !  
93 Qui vocat, hic viso te nil sibi triste putabit  
94 amplius ; afflictasque hominum solabere mentes.  
95 Si quid adhuc superest nostro pro munere nobis  
96 dicendum, collega suis clarissimus ecce  
97 supplebit verbis ; tum quicquid restat agendum  
98 ocius expediet". Nec multa moratus et illum  
99 voce sequens breviter dictis haec Stroccius addit :  
100 "Omnia facundo, quae res ac tempora poscunt,  
101 eloquio et summa Paulus gravitate fideque  
102 disseruit ; patriae satis est manifesta voluntas.  
103 Nec super his quicquam restat mihi dicere, Borsi ;  
104 multa quidem explicuit paucis, quibus ipse tuorum  
105 maerorem ingentem fraternoque anxia casu  
106 pectora, quamquam absens, facile comprehendis et illos  
107 ardores hominum et Thaumantida ab aethere missam  
108 audis atque vides, nec quicquam his addere possum.  
109 Plura quoque adduxit, quae nos discrimine nullo  
110 permoveant, cur in te uno spes nostra locetur.  
111 Haec ita sunt ; reliquum est igitur contendere ad urbem.  
112 Nulla tuis obstet coeptis mora, tempus et ipsa  
113 res vocat ; omnis enim cunctatio plena pericli est.  
114 Utque vides, populis gens invidiosa Latinis  
115 jam pridem sumus et nostras inhiatur ad arces.  
116 Te sibi vix credat Ferraria posse noceri  
117 Principe. Si testes alios fortasse requiris,  
118 haec mandata lege et nostri decreta senatus ! "  
119 Sic dicens prolata fidem facientia verbis  
120 porrexit scripta et pronus dedit oscula dextrae  
121 atque omnis laeto assensit clamore corona  
122 circumfusa virum. Sed postquam singula legit  
123 Borsius et tacita secum sub mente revolvit,  
124 alte suspirans oculis ac voce dolorem  
125 exprimit atque illis gratus respondit et inquit :  
126 "Non equidem laeta quid enim mihi tristia laeti  
127 fata reliquerunt cari post funera fratris ?  
128 Mente, sed accipio, legati, utrumque benigna  
129 et vestri jam pridem in me sum certus amoris.  
130 Audieram, quantas agitet Ferraria luctus,  
131 vestraque non levibus praestans facundia verbis  
132 nunc testatur idem atque oculos ista omnia ponit  
133 ante meos, nec sum dubius vos vera referre.  
134 Absit livor, in hoc summae dignissima laudis  
135 multa fuere viro, quae vos mecum omnia nostis,  
136 ac quicquid viventi olim et nunc luce carenti  
137 civibus indultum a nostris, gratumque piumque est.  
138 Id certe hoc animo numquam excidet ; omnibus istis  
139 omnia me debere puto ac merita optima reddam,  
140 si mihi vobiscum dabitur producere vitam.  
141 Egregie, ut video, de me Ferraria sentit ;  
142 et, si fas verbis hoc tempore talibus uti,  
143 gratulor atque opto me dignum his laudibus esse.  
144 Nam quid ego aut potius cupiam aut magis ipse laborem  
145 quam patriae votoque satisfecisse meorum,  
146 dulcia cum virtus praesertim et gloria magnis



147 pabula dent animis ? Vestrum est, laudabile si quid  
148 esse in me voluere dei, ut vos forte putatis.  
149 Magnum onus ac multos affert variosque labores,  
150 qui mihi nunc mandatur, honor ; si principis uti  
151 magnanimi officio recteque incedere curem,  
152 in vastum adduci pelagus tumidisque videmur  
153 fluctibus ac dubio committere carbasa vento,  
154 arte ubi non parva sit opus vitare furentis  
155 fortunae tempestates scopulosque latentes.  
156 Praeterea, ante oculos quoties dignissima nostros  
157 facta patrum ac belli et pacis proponimus artes,  
158 undique sollicitant ingentes pectora curae,  
159 gloria ne nostra inferior sit laudibus illis.  
160 Majorum praeclara sequi vestigia pulchrum  
161 esse reor, sed quos imitamur vincere longe  
162 pulchrius. Est vero divum admirabile munus  
163 sese ipsum superare animoque imponere legem.  
164 Hic mihi praecipuus labor, huc incumbere nitar,  
165 hinc immortalis praeconia quaerere famae  
166 cura erit. At postquam patriae sententia certa est  
167 meque homines superique vocant et regia Juno  
168 sic jubet, ecce adsum ! Communia numine dextro  
169 vota regens nostrorum operum sit Jupiter autor".  
170 Optimus haec postquam magnis assensibus heros  
171 legatis responsa dedit, Laurentius illi  
172 carus erat longe ante alios hunc protinus ad se  
173 accersit, super his quae sit sententia, pandit.  
174 Hic satus antiqua Strozae de sanguine gentis  
175 Palladius artes olim attigit ; inde profectus  
176 sub duce Nicoleo, cui stirps Fortbraccia magnum  
177 nomen et alta dedit virtus, puerilibus annis  
178 arma tulit meruitque duci gratissimus esse.  
179 Ast illum aequali dehinc secum Borsius aevo  
180 eductum comitem bellorum et pacis habere  
181 dignatus, rerum magna ad fastigia porro  
182 extulit imperio meritisque opibusque potentem  
183 et paribus voluit secum gerere omnia curis.  
184 Ille ubi percepit mentem secretaque Borsi  
185 consilia, extemplo jubet ordine cuncta parari.  
186 Jamque virum exoritur strepitus famulique frequentes  
187 huc illuc per tecta volant et limine in ipso  
188 frenati alipedes hinnitibus aera rumpunt.  
189 Nec mora, tectorum gradibus descendit ab altis  
190 Borsius, atque una legati omnesque repente  
191 descendunt, et equis investiti ad moenia tendunt.  
192 Atque ea dum magno certatim ardore gerebant  
193 intenti pariter coeptis ; urbemque petebant,  
194 his centum noviesque decem nondum annuus orbis  
195 expulerat lustra, atque hyemis pars prima fugabat  
196 extremum autumnus tempus brumamque ciebat.  
197 Luce illa non ulla dies formosior umquam  
198 visa, nec Eoo caput extulit aequore Titan  
199 purior, et cecidit manifestus ab aethere fulgor.  
200 At Leonellei praenuntia sidera casus  
201 visa comam nuper praesago extendere tractu  
202 deseruere polum ; atque alios fulgere cometas,

203 aurea Luciferi dea quos Orientis ad oras  
204 mista Jovi fertur partu effudisse benigno,  
205 vidimus ; et nullae dirum cecinere volucres  
206 saepe homines solitae horrendis terrere querelis.  
207 Nil formidatis tremuerunt motibus arces.  
208 Virgineus nullis effusis imbribus ante  
209 arcus ab Aurora veniens omne undique caelum  
210 lustravit totoque effulsit maximus orbe.  
211 Tum venti posuere omnes, visasque deorum  
212 in terris facies perhibent felicia nostris  
213 gentibus auguria et pacem sacro ore canentes.  
214 Ipsa etiam extremis tellus in mensibus anni  
215 ver conata novum variosque reducere flores ;  
216 atque novas ramis frondes mirantibus arbor  
217 protulit ac laetos alieno in tempore foetus.  
218 Ipsae etiam, velut ad cantum nova suscitet aestas,  
219 argutae comitantur aves pariterque salutant  
220 dulcis jucundo certamine vocis euntem.  
221 Rustica se totis effundunt undique campis  
222 atque oculis spectant inhiantibus agmina regem.  
223 Est vetus extra urbem trans ripam fluminis aedes  
224 sollemni cultu ac festis celeberrima ludis,  
225 annua quos referunt rapidi certamina cursus,  
226 aedes sacra deo, tenet unde Georgia nomen  
227 insula ; praecipites cingebant undique fossae  
228 parvae urbi quondam similem sedemque parentum,  
229 certa prius tantae quam fundamenta locarent  
230 molis et extruerent trajecto flumine muros.  
231 Ingreditur templum sacraeque aspergine lymphae  
232 Borsius irrorat frontem. Tum candida sacros  
233 turba sacerdotum occurrens laetissima cantus  
234 incipit. Ipse una ingentem procedit ad aram  
235 atque dei supplex sacram armipotentis adorat  
236 effigiem funditque preces : "Tu" que, "optime", dixit,  
237 "militiae caelestis eques, qui nobile tantae  
238 laudis opus magnis animis et viribus ausus  
239 purgasti infames servata virgine terras,  
240 quem neque letifero assurgens horrendus hiatu  
241 terruit immani sternendus vulnere serpens  
242 nec gens crudelis ritu contraria nostro  
243 suppliciis valuit perstantem avertere coepto,  
244 Tu nostras admitte preces, pugil inclyte caeli !  
245 Ecce patrum ingenti assensu populique favore  
246 Ferrariam petimus fatisque in regna vocamur.  
247 Da, precor, ut, qualem gens nostra et credit et optat,  
248 talem me praestare queam propriaque salute  
249 ut potiora mihi patriae sint commoda semper !  
250 Tum mens pestiferos animi sincera tumultus  
251 exsuperet fugiatque nefas nec digna recuset  
252 praemia pro meritis aequa persolvere lance.  
253 Hoc quodcumque peto, quaecumque haec gloria regni est,  
254 non opis humanae peperit labor ; omnia vero  
255 ad superos referens munus reor esse deorum,  
256 qui, precor, auspiciis tecum felicibus adsint.  
257 Vobis gratus ego hic avis quoque testibus ipsis  
258 polliceor non me immemorem fore muneris hujus,

259 et vos digna manent, superi, me principe templa."  
260 Dixit et assurgens votorum splendida cultu,  
261 floribus et lauri redimita altaria ramis  
262 rite manu imposita veneratur et oscula donis  
263 dat prius oblatis princeps ; solioque parato  
264 dum sedet ante aram, senior comitante senatu  
265 progreditur populique docens se nomine missum  
266 Augustinus ait : "Tecum Ferraria luget  
267 fraternos casus et tristia funera, Borsi ;  
268 non tamen ipsa parum, cum tu successeris illi,  
269 laetatur ; fratrisque licet sors impia nobis  
270 jacturae tantum attulerit tantumque doloris,  
271 nos tua solatur, princeps, tamen, optime, virtus  
272 nec te rege parum lucri fecisse videmur.  
273 Ergo tuis ductus meritis insignia regni,  
274 hoc sceptrum, hunc ensem, populus suaque omnia seque  
275 arbitrio moderanda tuo largitur et orat  
276 felicem ac superum memorem te ducere vitam.  
277 Ipsa etiam nostris faveat Saturnia coeptis,  
278 cujus ad hunc populum mandata his auribus ipse  
279 percepi atque oculis praesentia numina vidi".  
280 Haec ait. Ast illi responsum maximus heros  
281 sic dedit : "Est animo gratum mea facta neque ipsis  
282 displicuisse, patres, superis vestroque probari  
283 iudicio ac nobis tantos accedere honores.  
284 At meriti capient me nulla oblivio vestri,  
285 aetherea dum luce fruor, nec praemia vobis  
286 umquam digna satis persolvi posse putabo.  
287 Praeterea neque me indecorem Ferraria regno  
288 aspiciet neque se immitem accepisse tyrannum  
289 sentiet ac Borsi numquam meminisse pigebit".  
290 Haec ubi dicta, sacrae rex in penetralibus aedis  
291 funeream exuitur vestem ; dein splendidus auro  
292 et gemmis templo egreditur. Tum plausibus aer  
293 et clamore virum resonat cantuque tubarum.  
294 Atque illum instratus phaleris regalibus Aethon  
295 portat et alta ferox huc ora obvertit et illuc  
296 Sarda matre satus cygnis candentibus ipsis  
297 concolor, Alphonsi donum haud ignobile regis.  
298 Sic demum ingenti procerum stipante corona  
299 rex novus ingreditur superato flumine portam.  
300 Longa sacerdotum in tunicis albentibus illi  
301 sacra canens manus occurrit, puerique frequentes  
302 parva manu vexilla gerunt pariterque secundos  
303 eventus regi magnis clamoribus optant.  
304 Nec minus e speculis matres teneraeque puellae  
305 cultibus insignes variis venientia longe  
306 agmina prospiciunt et odoros undique plenis  
307 conjiciunt manibus flores regemque salutant.  
308 Flexipedes hederae passim ramosaque buxus  
309 nec non permistae bene olentis mollibus herbae  
310 graminibus stravere solum. Praesentia tristem  
311 praeteriti casus maerorem gaudia vincunt.  
312 At populi pars una praeit, pars altera pone  
313 subsequitur mediumque canit laetissima regem.  
314 Accipit hos hilari vultu placidoque benignus

315 Borsius alloquio ac dextram cupientibus offert  
316 vectus equo totamque ambit spectabilis urbem.  
317 Ventum erat ingentis sacrata ad limina templi,  
318 auratis ubi porticibus centumque columnis  
319 subnixum et solido constructum marmore ad auras  
320 surgit opus, priscae gentis labor, unde superbas  
321 hinc atque hinc, decora alta fori, prospectus ad aedes.  
322 Desiliunt ab equis. Tum creber ubique satelles  
323 voce manumque globos populi turbamque frequentem  
324 submovet atque viam sublimem pandit ad aram.  
325 At pius ut meritas hic ore et pectore grates  
326 caelitibus solvit princeps ac vota peregit  
327 testibus ante aram superis in verba vocatis,  
328 decreto patrum populique favore jubentis  
329 haec Augustinus placido dicta edidit ore :  
330 "Gentis Atestinae clarissima gloria, Borsi,  
331 spes ac certa salus patriae, quem numina regem  
332 praesenti augurio nobis manifesta dedere,  
333 venimus omne tibi obsequium praestare parati.  
334 At nostris pietas quae immobilis hactenus haesit  
335 mentibus atque tuo generi perspecta neque ullis  
336 temporibus mutata fides, dum spiritus auras  
337 vitales noster capiet, tibi certa manebunt.  
338 Ipsa suos tibi commendat Ferraria cives  
339 seque simul. Studiis adsint pia numina nostris".  
340 Dixerat. Ille refert : "Non centum prodere linguis,  
341 Augustine, mihi liceat, me talibus ipse  
342 quantum animis debere putem. Facundia verbis  
343 sed cum nulla queat tacitos ostendere sensus,  
344 re gratos in se nos urbs populique videbunt".  
345 Dixit, et occidui jam prorsus ad aequoris undas  
346 sol agitabat equos. Aulae regalis in altas  
347 se tandem recipit sedes, ubi plurima secum  
348 per noctem super imperio Rugerius heros  
349 cogitat haud levibus distracto pectore curis.  
350 Jamque rubescentem primo revehebat ab ortu  
351 sideribus pulsus conjux Tithonia lucem.  
352 Borsius exanimi fratris mandare sepulchro  
353 membra parans lecto haud segnis consurgit ab alto  
354 et populi accitis ad se primoribus inquit :  
355 "Ecce dies lachrimosus adest, qui debita fratri  
356 funera nos merito cives persolvere honore  
357 admonet ac gelidum telluri reddere corpus.  
358 Nemo quidem vestrum ignorat, quibus artibus ille  
359 Estense imperium et praeclaram hanc rexerit urbem ;  
360 quaeque fides et quae pietas et quantus in illo  
361 recti amor et qualis fuerat prudentia, nostis ;  
362 grata nec in patriam placidae indulgentia mentis  
363 vos latet. Ast illo Ferraria principe quantum  
364 floruerit, quibus ipse viris ornaverit urbem,  
365 non nostrae tantum gentes atque Italis ora  
366 sensere, extremus terrarum haec audiit orbis.  
367 At quam praecipue dignum me semper honore  
368 duxerit utque sibi addictum Leonellus amarit,  
369 vos etiam testes estis, vobisque sub illo  
370 ipse ego quas gessi ratio notissima rerum est.

371 Quare omni studio cineri, cui plurima mecum  
372 debetis, pariter supremum impendite munus !  
373 Officium praestate pium sociique doloris  
374 este mei luctusque atros ornate frequentes ! "  
375 Sic ait et lacrimis oculos roravit obortis  
376 tristior. Ast illi haec meritis venerandus et aevo,  
377 Franciscus responsa dedit sacratus et omnes  
378 pectoris affectus placido sic prodidit ore :  
379 "Non haec exiguum, princeps, jactura dolorem  
380 attulit ; infixus percussis mentibus haesit  
381 maeror et ingenti permiscuit omnia luctu.  
382 Fratris enim auspiciis feliciter egimus annos,  
383 et nihil ex illo nisi dulce et amabile cuncti  
384 sensimus. At quoniam nullo discrimine Parcae  
385 pensa trahunt certusque rapit mortalia finis,  
386 cum nihil insolitum Leonelli casus adempti  
387 attulerit, commune malum sortemque repostam  
388 omnibus aequo animo nobis tolerare necesse est.  
389 Qui potuere suum claris extendere nomen  
390 laudibus et pulchrae amplecti virtutis honores,  
391 hos aeterna putant in saecula ducere vitam  
392 nec leti penitus conjuncti morsibus atris.  
393 Quis nisi ob invidiam vel captus mente recuset  
394 his fratrem numerare tuum ? Numquam ipse fatebor  
395 hunc periisse virum omnino vitae carere ;  
396 incolumem ad superos potius migrasse putabo.  
397 Magna quidem haec nobis restant solatia, quae tu  
398 successor tanto imperio dignissimus auges.  
399 Quae fieri mandas, studiis ardentibus omnes  
400 exsequimur. Nobis minus est parere laboris  
401 quam mandare tibi. Et quoniam nunc poscere tempus  
402 incipit ac totam se funera turba per urbem.  
403 Nunc parat exequiis, nos id peragamus et ipsi".  
404 Haec postquam inter se alterno sermone locuti,  
405 haud mora, purpureis intextis vestibis auro  
406 tectorum exornat secreta in parte pheretrum  
407 atque hic cum gemitu nardo fragrante ministri  
408 ablusos unguunt artus. Venerabilis aevo  
409 legis et interpret sacrae Antoninus et idem  
410 Angelici rector templi, ceu jusserat olim  
411 ante diem extremum princeps, qualem ipse gerebat,  
412 frigentem cultu Leonellum obnubit eumque  
413 longaevo auxilium sociis praestantibus alto  
414 composuit fulcro et suaves diffudit odores.  
415 Nec minus alta replent ululatibus atria magnis  
416 lugentes circum matres in vestibis atris  
417 velatae crines et plangunt pectora palmis.  
418 Et jam tempus erat, quo lamentabile corpus  
419 aedibus efferrent. Coeunt, quos sacra per urbem  
420 religio insignit. Tum binos ordine certo  
421 ire jubent paribusque modis alterna canentes  
422 atque laboratae portantes munera cerae.  
423 Jamque sacerdotum numerus praecesserat ingens.  
424 Tum patrum veneranda gerit vexilla crucesque  
425 densa cohors. Post haec famulorum it longius agmen  
426 fletibus humectans sub nigris ora cucullis.

427 Conveniunt, queis cura data est, pariterque pheretro  
 428 subjiciunt humeros et onus lacrimabile maesti  
 429 inter se attollunt. Pueris praeaeuntibus ardent  
 430 mille faces, totidemque simul post terga sequuntur.  
 431 Protinus elatum comitatur funus et, alto  
 432 corde licet gemitus premeret saevumque dolorem,  
 433 crebra tamen tristis suspiria mittere princeps  
 434 cogitur et vultus lacrimis turbare serenos.  
 435 Lugubres gestans habitus tum maximus omni  
 436 heroum coetus se parte effundit, eosque  
 437 maerentis populi sequitur densissima turba.  
 438 Haud procul egressis porta se nobilis offert  
 439 religione locus Mariae sacratus honori  
 440 Virginis atque idem angelico de nomine dictus,  
 441 Nicolei genitoris opus (Leonellia post haec  
 442 ingenti pietas templum venerabile sumptu  
 443 auxit et insignes spatiis melioribus arcus  
 444 atriaque et thalamos posuit secretaque claustra  
 445 porticibus solido suffultis marmore cinxit).  
 446 Omnis in hac postquam funebris constitit aede  
 447 ante aras posito defuncti corpore pompa,  
 448 maximus eloquio tantique Guarinus alumni  
 449 devotus meritis et summo affectus amore  
 450 illius explicuit laudes. Tum frigida saxo  
 451 membra sepulcrali exequiis clangore peractis  
 452 [Lacune]  
 453 et populo maestam comitante reductus ad urbem  
 454 se recipit thalamis regalis Borsius aulae.

## LIBER QUARTUS

B\_4 v.1 Extulit ut merito Leonellum funere frater  
 2 et patriis lacrimans exangues ossibus artus  
 3 miscuit ac tumulo extremos persolvit honores,  
 4 continuo ex omni Italia longaeque remotis  
 5 legati a populis maesti venere dolorem  
 6 susceptum ex obitu Leonelli tristibus omnes  
 7 testantes dictis et amico cuncta favore  
 8 spondentes, quae grata forent et commoda regi.  
 9 Omnibus his actae grates, dignisque per urbem  
 10 accepti hospitium, et honor simul omnibus ingens  
 11 exhibitus ; capti aspectu et sermone benigno  
 12 principis ad patrios laeti rediere penates.  
 13 Borsius interea magnarum ingentia rerum  
 14 fundamenta suo sub pectore jactat et altis  
 15 invigilat regni curis nullosque recusat  
 16 corporis aut animi pariter perferre labores.  
 17 Haud secus, aequoreis ubi navita fluctibus alnum  
 18 credit, exoriens quae sol det signa cadensve,  
 19 spectat et immites ventos occultaque saxa

20 praeveniens oculis vigilantibus omnia solers  
21 providet, ut tuto valeat procedere cursu.  
22 Principio, placidam praesens clementia quamvis  
23 detineat mentem truculenta neque imperet ira,  
24 justitia frenare malos et crimina poenis  
25 ulcisci dignum imprimis putat optimus heros.  
26 Nec minus officiis hominum genus omne verende  
27 prosequitur civesque suos patriaeque salutem  
28 cunctis carus amat litesque gravissimus auctor  
29 et vetera extinctis odiis certamina tollit  
30 conciliatque animos intenso ac foedere jungit  
31 sanguinis et proprio succurrit egentibus auro.  
32 Mortales, labor est memorare, quot ille beatos  
33 efficiat. Quis enim ingentes superantia census  
34 munera, quis nulla pretii spe narret honores  
35 civibus oblatos collataque praemia laudis ?  
36 Nec per eum oppressis insontibus occupat ullas  
37 publica pestis opes ac fisco turpiter addit.  
38 Sed quaecumque prius veteres tenuere coloni,  
39 decretis mox ipse novis confirmat et addit,  
40 si qua petunt ; nulloque metu nec legibus ullis  
41 est melior, sed sponte sua pius omnia semper  
42 acta videre hominum et nostrae penetrabilia mentis  
43 scrutari meritisque putat dare praemia divos.  
44 Ille domos et sacra pio delubra labore  
45 aedificat pulchrisque includit moenibus urbem.  
46 Rura quoque et positis villis insignibus agros  
47 non inhonorata aut celebri sine nomine linquit.  
48 Horridaque armorum studiis exercitus inter  
49 bella ferox quamvis juveniles egerit annos,  
50 non animi praestantis egens, non inscius artis  
51 militiae, quam poscit opus, tamen otia pacis  
52 dat patriae strepitumque insani a finibus arcet  
53 Martis et externas componit foedere gentes.  
54 Tantane Maeonii sacro de pectore fluxit  
55 vena senis, tantum divinae Aeneidos auctor  
56 praestitit ingenio, si luce fruatur uterque  
57 rursus, ut exilem res condere principis hujus  
58 materiam esse putebat ac tot benefacta referre ?  
59 Tu, cui pandit iter virtus et gloria caelo,  
60 cujus ab aethereis fatalem sedibus aevum  
61 indulgere dei terris, Saturnia quo sub  
62 saecula nunc redeunt, unde olim fulgere mundo  
63 vicinum Erigone non indignabitur astrum,  
64 dexter ades, Borsi ! Te nil Praesente monere  
65 magnum ego non ausim ; nec me fiducia linquit,  
66 quod mea Permessi libarit parcius undam  
67 te duce Sandalio sitis exsaturata liquore.  
68 Respice ad haec igitur, seu nunc pro pace laboras  
69 Italiae et magnis Veneto retinente senatu  
70 consiliis adhiberis adhuc Latiaeque saluti  
71 prospicis atque inter populos regemque ducemque  
72 Sforzigenam studio medius contendis amico  
73 non levibus conflata odiis extinguere bella,  
74 seu maris Adriaci reginam deseris urbem,  
75 jam compos voti, et Malemancum ac littora praeter

76 laberis in pontum fugiens, ubi brachia portus  
77 contrahit et vastis allisa immurmurat unda  
78 aggeribus saxorum indignaturque repelli,  
79 seu tibi Neptuno fluctus placante marinos  
80 semiferi Tritones et undivolans Melicerta  
81 et quaecumque secant nymphae Adrianitides altum  
82 connixe adverso propellunt pectore classem  
83 velaque prosequitur placide spirantibus Euris  
84 Aeolus et magni pecus hinc maris errat et illinc  
85 teque tuosque simul proceres miratur et altis  
86 porticibus turrita novae tabulata carinae,  
87 qua veheris, pictasque trabes atque aurea celsis  
88 fixa super ratibus vento volitantia signa  
89 spectat et ipse pater stupet imo in gurgite Nereus,  
90 immenso clamore virum et clangore tubarum  
91 excitus, ac celeri petit aequora summa natatu  
92 undique caeruleo disjectis corpore lymphis,  
93 sive ubi populifer placido jam flumine sese  
94 obtulit ac portu Eridanus suscepit amico  
95 tendentem optatas patriae gratantis ad oras,  
96 amnis et adversi remorum ingentibus alis  
97 vim superas lucosque legis ripasque virentes  
98 teque super custos intento Cynthius arcu  
99 tela tenet votoque procul fugat orta maligno  
100 gaudia terroremque et spes ratione carentes  
101 atque gravem insani stimulum strepitumque doloris  
102 avertit dirumque nefas et mentis avaram  
103 ingluviem, monstrum, quo nil deformius atra  
104 Styx habet, horrendum fraude et furialibus armis !  
105 Quae te cumque tenet regio telluris et undae,  
106 quicquid mente paras, quicquid faris, en age voto  
107 aspira, o certum mihi numen, et ad tua tandem,  
108 exspectate, veni properato moenia cursu !  
109 Herculeum Virgo caeli statione Leonem  
110 expulerat, cum se fidam Rugerius heros  
111 argentam placido devectus contulit amne.  
112 Haud procul inde locus juncosi humentia versus  
113 Pascua Bandisoli Nabathaeum vergit in orbem,  
114 altus ubi ingentem ripis sublimibus agger  
115 hinc atque hinc fossam cohibet, ne noxius umor  
116 finitimas segetes stagnantibus obruat undis.  
117 Doctrina excellens, fama pietatis et aequi  
118 nobilis et longo Malchus venerabilis aevo  
119 hic Mariae summa sub religione sacellum  
120 struxerat exiguum victum dabat hortus et urnis  
121 illi potus erat servata capacibus unda  
122 et sacra voce admonitus ventura canebat.  
123 Hunc igitur cupiens jam pridem agnoscere coram  
124 affarique virum, fido comitante profectus  
125 Laurente exiguum sese fert Borsus ad aedem.  
126 Hos hilari postquam venientes fronte sacerdos  
127 accepit, sedere simul sub tegmine vitis,  
128 ipse sibi senior parvo quam inseverat horto  
129 porticibus similem et frondoso fornice textam.  
130 Atque hunc rectorem templi Rugerius heros  
131 talibus affatur dictis : "Venerande sacerdos,



132 cui pater omnipotens magni mysteria caeli  
133 scire dedit variosque hominum praenosceret casus,  
134 si non ulla malae me detestanda cupido  
135 fraudis agit jussisque animum caelestibus apto,  
136 te rogo, ne pigeat, fatorum arcana meorum  
137 ostendisse mihi, non ut divertar ab aequo,  
138 sed magis ut mentem ad melius componere nitar,  
139 lubrica sive aliquid blando Fortuna favore  
140 mortali optandum obtulerit, sive aspera laetas  
141 res inopinato sit turbatura regressu ;  
142 neu reticere velis, Latiis quae tristia rebus  
143 turba sacerdotum toties praesaga minatur,  
144 neu ventura neges, si fas ea dicere cuiquam ;  
145 et quoniam longo instructus cognoscis ab aevo  
146 plurima et annales veteres causasque latentes,  
147 ipse aliquid nobis dignum et laudabile narres".  
148 At senior barbam dextra permulcet humique  
149 lumina fixa tenet tacitus supplexque precatur  
150 caelicolas magnos ; dehinc talibus ora resolvit :  
151 "Rem mihi difficilem scitu et mortalibus ullis  
152 non bene tentandam certo sine numine, Borsi,  
153 nosse cupis. Divina sinet quac dicere Malchum  
154 majestas, aperire licet ; rex aetheris alti,  
155 quae libuit, magna sub mente latentia servat.  
156 Principio multum superis ob maxima, princeps,  
157 munera te debere vides. Industria certe  
158 nulla humana tibi tantos peperisset honores,  
159 ni patris haec summi nutu concessa teneres.  
160 At tua mortales inter si gloria forsan  
161 excellit, te crede hominem tamen esse nec ullis  
162 fortunae illecebris nec fastu insurge tumentis  
163 justitiamque cole atque inopem miserare piisque !  
164 Ultima sic tandem sublimis regia magni  
165 te accipiet post fata dei et caelestibus addet.  
166 Quae vero miseris mortalibus aspera sacri  
167 saepe sacerdotes iterant ac saepe minantur  
168 ore pio, rata nemo negat ; gravioraque sontes  
169 supplicia exspectant laturi ob crimina poenas.  
170 Quod petis, ut vestro conspectu atque auribus istis  
171 dignum aliquid memorem, non mens ita credula Malcho est  
172 nec sic tarda rude ingenium experientia tollit,  
173 ut me posse rear voto satis, optime princeps,  
174 pro meritis fecisse tuo. At non asper uterque  
175 accipite haec, quocumque modo sermo excidet ore !  
176 Sed neque ego referam, quo finxerit ordine mundum  
177 naturae ille parens, cujus neque dicere nomen  
178 nec cuiquam fas est animo comprehendere numen,  
179 omnipotens qui cuncta regit, cui nulla dederunt  
180 saecula principium ingenito semperque futuro.  
181 Nec loquar, ut tellus rapido de sole calorem  
182 hauriat utque eadem numquam sit frigoris expers  
183 lunari rorata globo (contraria quamvis  
184 inter se pugnent, tamen utraque legibus aequis  
185 officio perfungi et concordare videmus ;  
186 namque pari annixu rebus, quaecumque sub alto  
187 gignuntur caelo, vires alimenta praestant

188 sustentantque simul, donec prodire jubentur  
189 consilio ac nutu summi patris). Utque profundi  
190 aetheris assiduo liquidum per inane meatu  
191 astra micant, reticere libet, quae saepe feruntur  
192 multiplices hominum ac rerum portendere casus ;  
193 quos ego non facile adducor mortalibus ullis  
194 ut rear omnino scrutantibus aethera notos,  
195 cum dubitem, paucis stellarum ex ignibus omnes  
196 an liceat caeli vires motusque futuros  
197 colligere atque ausis ingentibus abdita fata  
198 extorquere polo et caelestia pandere corda.  
199 Non dicam, velut orta mari vaga flumina vertant  
200 ad mare rursus aquas ; fluxus causam atque refluxus  
201 ponti praetereo et salsas quod fecerit undas.  
202 Diluvium antiquum plenamque animantibus arcam  
203 atque procul regis fugientem immane superbi  
204 servitium incolumem populum evasisse tacebo,  
205 cum sese in geminas partes scindente profundo  
206 carpsit iter medium et sicco pede pressit arenas  
207 tutus et infensos hostes post terga sequentes  
208 hinc atque hinc iterum coiens absorbuit aequor.  
209 Te, venerande senex, sitientis tristia turbae  
210 murmura sedantem linquam virgaque potenti  
211 percussum lapidem subitos fudisse liquores.  
212 Non Arabum referam cecidisse per avia nectar  
213 inque dapes gratas et respondentia voto  
214 gustantis vulgi conversum in pocula, nec te  
215 tantum amor hic valuit ! Dilectae virginis ergo  
216 servitio addictum bis septem, pastor, in annos.  
217 Igniferos vatem currus agitasse per auras  
218 nunc taceo atque homini jussum consistere solem.  
219 Illa Palaestinae virtus generosa puellae  
220 praetereunda mihi est et caesi gloria regis.  
221 Non memoranda mihi auspiciis felicibus Esther  
222 ulta Syros dirumque senem commissa luisse.  
223 Ille ingens opifex rerum ut se incluserit alvo  
224 Virginis atque illic mortales sumpserit artus  
225 Numinis ipse sui nec partem amiserit ullam,  
226 nostis, et ut moriens mortem superaverit utque  
227 se sponte obtulerit totumque redemerit orbem  
228 ac secum abductis patribus spoliaverit Orcum  
229 victor et aetherea se rursus in arce locarit,  
230 ipse pater natusque et spiritus una potestas.  
231 Quicquid in Assyria primis sub regibus actum,  
232 quicquid apud Persas, quo tempore floruit ingens  
233 Graecia, quae gessit Romana potentia, linquam.  
234 Gemmiferi taceo dites Orientis ad ortus  
235 translatae imperii sedem et Byzantia regna.  
236 Italiae vero clades rabiemque nefandam  
237 Gothorum et Latias Hunnos regnasse per urbes,  
238 quem memorare juvet saevosque novare dolores ?  
239 Cum miseris vero dira infortunia gentes  
240 undique sic premerent, Venetae mirabile nondum  
241 urbis opus steterat, nondum aurea templa nitebant,  
242 marmoreaeque domus caput alta ad sydera nondum  
243 sustulerant, divique forum memorabile Marci

244 pontus erat ; quae nunc venerandos curia patres  
245 accipit, haud tantae dederat primordia molis,  
246 delphinesque illic curvi phocaeque natabant.  
247 At tu contentus nos pauca audire canentes  
248 vera, sed obscuris permista ambagibus esto !  
249 Quod fortasse minus reris, Ferraria magni  
250 hospitis adventu laetabitur et tibi ab Arcto  
251 surget honos, quo te illustres urbemque domumque.  
252 Gens certare sacra pro religione parata  
253 Pontificem Tyrrhena dabit, conatibus ille  
254 in mediis spoliabitur <aevo> ; hunc tamen ipse  
255 ante suos obitus tua tecta subire videbis.  
256 Quo, miserande, ruis ? Socero ne crede nec Alpes  
257 transgrediare, puer ! Si verba monentis amici  
258 audieris, tristes poteris evadere casus.  
259 Maximus Italiae terror, Sarmatica tellus  
260 cui patria est, bello insignis, quem Martis alumnum  
261 simplex turba vocat, non longe ab limine leti est.  
262 Italicos motus regumque furentia cerno  
263 cognatorum odia et funesti semina belli.  
264 Res in Flaminia gestas Borgaeaque signa  
265 cursu incredibili partas volitare per urbes  
266 conspicor ac versis retro lapsa omnia fatis.  
267 Nec minus hinc atque hinc gentes Aquilonis ab oris  
268 jam transire suis video cum regibus Alpes  
269 ob varias rerum causas. Mox regis Iberi  
270 illatas Latio classes pugnamque cruentam  
271 per noctem Lyris ad ripas Linterriaque arva  
272 quid loquar atque duces Caietae ad moenia captos ?  
273 Sanguinis, heu, quantum furibundi insania belli  
274 hauriet ? Heu, quid non dominandi insana cupido  
275 audebit ? Quo non ruet insatiata libido ?  
276 Heu, heu, quot dictu horrendum implacabilis arcus  
277 inglutiet sontes animas ducetque triumphos ?  
278 Ecce dolore gravi et lacrimis manantibus aeger,  
279 Borse, loqui ulterius nequeo, longique senilem  
280 singultus vocem abripiunt, et plura vetamur  
281 dicere. Tu vero memori sub pectore serva,  
282 majestas quae tecum olim divina benigne  
283 egerit, ac meliora etiam speranda merenti !  
284 Aequoris occidui sed jam divertere ad undas  
285 Phoebus equos properat ; surgamus. At ipse latentem  
286 secessum auguri quoniam dignatus adire es,  
287 quanta in te pietas, quam sis humanus in omnes,  
288 ostendis, nec parva quidem tibi gratia habenda est".  
289 Haec ait. Ast illi grates agit optimus heros  
290 multa rogans, memor esse velit comitisque sui,  
291 supplicibus veneranda ciet dum numina votis.  
292 Nec mora, conscensus princeps ac Stroccius una  
293 argentam revehuntur equis pariterque loquentes  
294 mirantur, vario quae dixerit ordine vates.  
295 Jam vaga ad Aurorae populos Phoebumque cadentem  
296 australesque plagas gelidique Aquilonis ad axem  
297 magnanimi late volitarat gloria Borsi.  
298 Austricus Arcto is procul hinc Federicus in oris  
299 Caesareo tantum vitam contentus agebat

300 nomine et Ausoniam Romanaque moenia nondum  
301 venerat, ut sceptrum acciperet regnique coronam.  
302 Huic se matronae in faciem conversa potentis  
303 per somnum Italiae miranda ostendit imago.  
304 Namque videbatur sublimi tangere caelum  
305 vertice et ornatum gemmis insignibus urbes  
306 turrigerae cinxere caput terrasque per omnes  
307 spargebant claram fulgentia lumina lucem.  
308 Aureus e longa pendens cervice nitebat  
309 circulus atque pedes preciosa fluebat ad imos  
310 palla et proceri velabat corporis artus.  
311 Nec procul intonsis altum de montibus ibant  
312 in mare per virides errantia flumina ripas ;  
313 at circum innumeris canebant frugibus arva,  
314 grataque praebebant jucundae umbracula vites  
315 arboribus nuptae, et felicibus insita poma  
316 pendebant ramis, passimque armenta gregesque  
317 mollia fertilibus carpebant gramina campis.  
318 Haec ubi sopiti penetravit limina regis  
319 constitit ante torum et placidis ita vocibus inquit :  
320 "Clarorum altricem Italiam, Federice, virorum  
321 aspice, quae victrix domui felicibus annis,  
322 quicquid ab aethereo Sol despicit altus Olympo,  
323 cujus ad extremas perlata est inclyta gentes  
324 gloria, quae dominos terris ac numina caelo  
325 saepe dedi, quae prima meum provincia nomen  
326 per laudes illustre novas ad sidera tollo.  
327 Quid sacrum imperii ad regimen delectus adire  
328 Romuleam cessas urbem populosque Latinos ?  
329 Clara licet gremio foveat Germania regem  
330 gaudeat et tantum gens Austria cernere alumnum,  
331 te tamen imprimis labor hic petit, hoc tua tandem  
332 majestas firmanda loco, dux maxime, si tu  
333 ipse cupis verus, non nomine Caesar haberi.  
334 Tolle moras igitur nostrasque optatus ad oras  
335 auspiciis superis iter arripe ! Non tibi ferro  
336 hic opus, infestos via nec faciunda per hostes,  
337 cuncta sed invenies placida tutissima pace  
338 mortalesque tui cupidos votoque faventes.  
339 Primaque Phoebos ubi lux accenderit ignes,  
340 caelicolum templis solemnem laetus honorem  
341 institue et proceres accitos undique regno  
342 consiliis adhibe socios comitesque viarum  
343 delige et Italiam fatis accede secundis !  
344 Neve putes falso tibi somnum illudere visu,  
345 quale solet. Ventura dies ubi sidera caelo  
346 expulerit, nulli visam prius ipse repente  
347 aedibus in magnis viridem consurgere laurum  
348 sponte sua aspicias et odoros spargere ramos.  
349 Hinc tibi, Romani ceu mos est sceptrum tenentis  
350 imperii, foliis decerptis finge coronam  
351 intextam gemmis, eademque nepotibus arbor  
352 exhibitura tuis similem servetur honorem".  
353 Sic ait attonitumque ducem somnoque solutum  
354 ac secum tacita repetentem insomnia mente  
355 liquit et in ventos ablata refugit imago.

356 Jamque diem nondum matura luce parabat  
357 Memnonis alma parens roseo producere curru ;  
358 Custodes thalami Herigium Federicus et Elphin  
359 continuo vocat et mirantibus omnia narrat,  
360 quae sibi per noctem acciderint ; tum strata relinquit  
361 laetus et his omnem lustrat comitantibus aulam.  
362 Tectorum ad primos aditus ingentia late  
363 atria se pandunt. Ibi sacrae munera frondis  
364 invenit ac tenera divellit ab arbore ramum  
365 fatalis lauri jussosque reponit in usus  
366 divulgum, positisque loco custodibus arbor  
367 servatur, ne qua hic crescentem injuria laedat.  
368 Extulerat nonam Oceani de gurgite lucem  
369 Sol niveis invectus equis ; non immemor heros  
370 Austrius oblatae in noctem sibi imaginis et quae  
371 contigerant, monitusque datos sub corde volutans  
372 ardet adire urbem et Latias cognoscere terras  
373 quam primum, hiberni nec sideris horrida curat  
374 frigora jam caelum Olenia turbante Capella.  
375 Delectos igitur proceres toto undique regno  
376 imperat acciri atque locum simul ipse viamque  
377 concilio indicit magnisque accingitur orsis.  
378 Carus erat regi imprimis Germanicus Arges.  
379 Hunc opibus magnis et nobilitate potentem  
380 arcanis spectata fides provexerat altum  
381 Caesareos inter proceres ad culmen honorum.  
382 Nec minus eloquio praestans non vanus haberi  
383 consiliis meruit, nec rebus summa gerendis  
384 dexteritas, quocumque animus se intendere vellet,  
385 defuit. Ille urbes Italas populosque ducesque  
386 viderat atque hominum mores callebat et acta.  
387 Ut regem senior certum conspexit eundi,  
388 talibus ipse ultro stimulis accendit et inquit :  
389 "Non equidem possum non summis tollere, Caesar,  
390 laudibus ad caelum, quae tu pulcherrima sentis.  
391 At mihi quae fuerit super his sententia quamquam  
392 ostendi, cum te Italiam Romamque petendi  
393 tam cupidum assereres, tamen haec libet addere dictis.  
394 Quorum si qua tuas pars olim contigit aures,  
395 omnia nota mihi coram perstringere paucis  
396 nunc juvat hortarique, ut coepto sedulus instes  
397 Italiamque petas, ubi sacrae munera cernes  
398 sedis obire Pium, quo non tibi amior alter  
399 clavigeri potuit solio considerare Petri.  
400 Hujus consilia ac vires animosaque coepta  
401 jam trepidos horrere Getas et sistere cursum  
402 fama refert volucremque retro se vertere ad Hebrum.  
403 Quique nefas auro potius sibi quaerere honores  
404 quam propria virtute putat Roverella suisque  
405 allicit officiis homines captatque merendo,  
406 egregiis jam nunc tibi se cum fratribus offert.  
407 Magna mente potens et religionis honore  
408 ac genere insignis placida te fronte Nicenus  
409 accipiet, Graiae decus indelebile gentis,  
410 canentem gestans veneranda ad pectora barbam.  
411 Hos inter sacrae ceu lumina fulgere sedis

412 egregia pietate duos, rex optime, cernes,  
413 florentes studiis et amicos vatibus ambos.  
414 Horum alter clarum accepit cognomen ab urbe,  
415 proxima quae rapidum Ticini surgit ad amnem.  
416 Hic viridi in ripa celeres prope Thybridis undas  
417 gratam animo requiem geniales aedibus hortos  
418 addidit et lucis felicibus inter amicos  
419 disserit immensa caeli de mole profundi  
420 aut monitus legit et sacrorum scripta virorum  
421 aut aliquid dignum meditatur et otia frustra  
422 nulla terit vacuumve sinit sibi tempus abire.  
423 Ast alter, gentis celeberrima fama Caraffae,  
424 Parthenopen patriam meritis ad sidera tollens,  
425 non leve praesidium poterit, dux inclyte, rebus  
426 ferre tuis studio atque opera, si forte requires.  
427 Nec Tolomenea deerit de stirpe sacerdos,  
428 Pontificis pia cura Pii, spes maxima doctis  
429 praesidiumque viris, Senensi praesul in urbe.  
430 Ille ducum ingentes causas populosque tuetur  
431 consessu fratrum in medio juvenisque seniles  
432 maturus gravibus curis jam praevenit annos ;  
433 quaeque prius data sunt, multo majora meretur  
434 judiciis hominum votisque ardentibus olim  
435 Romanae ad sedis regimen fortasse vocandus.  
436 Ordinis ejusdem, quorum quoque gloria summa est,  
437 innumeros Romana dabit tibi curia patres  
438 purpureum capiti indutos de more galerum,  
439 saepe mihi visos, quorum edere nomina longum est.  
440 Quid monumenta tibi referam pulcherrima et urbis  
441 grande supercilium atque novos veteresque labores,  
442 moenibus inclusos colles celebresque ruinas  
443 prae se aliquod numen majestatemque ferentes ?  
444 Hinc ubi digressum visendi si qua cupido  
445 te ferat ulterius, dabitur cum prole superba  
446 cernere magnanimum Alphonsi de sanguine regem.  
447 Nec tibi Picenae dominator maximus orae  
448 praetereundus erit, Musarum cultor et armis  
449 clarus et Octavi felix Federicus amore.  
450 Haud procul hinc : celsis positas in collibus arces  
451 gens Perusina tenet, totum quae nota per orbem.  
452 Braccius inde ingens et Picinina propago  
453 totque viri illustres fatis felicibus orti.  
454 At lupa, quae Caium custodit sedula fontem,  
455 protinus inspecto gaudebit Caesare et atrox  
456 exuet ingenium et tales placidissima mores  
457 accipiet, quales urbis gens incola servat.  
458 Nec fabricata deum manibus Florentia post haec  
459 non adeunda tibi, frater quam Thybridis Arnus  
460 dividit et pulchro muros interluit amne.  
461 Illa tot egregios belloque togaque creavit  
462 una viros, multas ut late ornaverit urbes  
463 civibus ipsa suis fama repleverit orbem.  
464 Quod nisi diversum obliquo via limite euntem  
465 duceret, Arreti poteris ad moenia gressum  
466 flectere, Tyrrhenis jam pridem maximus unde  
467 gentibus affulsit splendor linguaeque Latinae.

468 Inde gradum referens transmissis Alpibus urbes  
 469 per medias poteris Insubrum tendere ad oras.  
 470 Hic illum Martis sacrum armipotentis alumnum  
 471 Sforzigenam invenies, cujus virtutibus ingens  
 472 se comitem dedit et numquam Fortuna recessit.  
 473 Aspicias Venetos terraque marique potentes,  
 474 invictam bello gentem et quae legibus aequis  
 475 temperat imperium, Romanis aemula rebus.  
 476 Non equidem dubito, quin haec tu maxima ducas ;  
 477 namque ita sunt. Verum hic aliquid mirabile restat,  
 478 quod vidisse animum capiat stupefactaque tanto  
 479 protinus aspectu mens haereat : ille deorum  
 480 concilio et summi imperio Jovis editus olim  
 481 Borsius in lucem, regum genus, aurea quo sub  
 482 saecula jam redeunt, fati in regna vocatus.  
 483 Ille tuum adventum imprimis placidissimus hospes  
 484 exspectat fixumque suo te pectore gestat,  
 485 Martius Herculeo juvenis quem nomine dignus  
 486 spectata pietate colit ; nec cedit amori  
 487 Herculis in fratrem pulcher Sismundus et omni  
 488 labe carens, praestans animi et cupidissimus aequi.  
 489 Tres quoque Nicoleo creti genitore sequuntur  
 490 Estenses juvenes, insignes laudibus omnes :  
 491 primus erit clara Guronius indole natus,  
 492 jam felix, dulci eloquio pergratus et idem  
 493 moribus ac vita insignis meritisque verendus.  
 494 Illum pace bonus sequitur Renaldus et armis,  
 495 ingenio accedens, quo vulgi obtusus inertis  
 496 sensus adire nequit, naturae arcana retexens.  
 497 Quid vero Albertum referam, quem gratia morum  
 498 ornat et egregio praestans in corpore virtus ?  
 499 Hic quoque dignus avis hominum sibi pectora miro  
 500 allicit affectu veroque aspirat honori.  
 501 Quare, age, ne dubita quemvis superare laborem  
 502 plurima visurus praeclara et consule laudi,  
 503 qua decet, ac proprium, Caesar, ne despice munus ! "  
 504 His igitur stimulat dictis regem optimus Arges  
 505 non ingrata monens studiumque accendit eundi.

## LIBER QUINTUS

B\_5 v.1 Auspiciis, Borsi, felicibus ad nova ferto  
 2 templa pedem, tibi quae ingenti formata labore  
 3 aurea marmoreis late solidanda columnis,  
 4 rarum opus ac nullo delebile forsitan aevo,  
 5 ponimus, unde tuae aeternum stet gloria gentis.  
 6 Hic ego terrarum diversis partibus ortos  
 7 cognatos reges regumque ingentia facta  
 8 fingam et caelato spirantia marmore signa.  
 9 Hos inter grati Albertus memorabile donum

10 Pontificis populo ostendet concessaque jura  
11 parietibus templi sacris affixa legentur.  
12 Nec minus aurato vectabitur aureus ipse  
13 Nicoleos sublimis equo et regalia dextra  
14 sceptrata feret, magnum decus et pater optimus urbis.  
15 Proximus imperium accipiens Leonellus in alta  
16 aede locum inter tot claros heroes habebit.  
17 Rege sub hoc artes favor et pulcherrima aiebant  
18 praemia nec parvus Musis honor additus, rex qui  
19 jam pridem aluerat nostra revirescere in urbe  
20 laurus et ingentes coepit protendere ramos.  
21 Protinus ipse tibi positam venerandus ad aram  
22 magnanimus propria transgressus laude parentes  
23 jamque deus solio, Borsi, residebis eburno  
24 Caesaris insignis donis vultuque superbo  
25 undantemque comam foliis redimitus olivae,  
26 alto demittens gemmata monilia collo.  
27 Hinc Astraea pari firmatas pondere laurus  
28 eriget ac solido perfecta adamante tenebit  
29 sublimem gladium, quam juxta ardente pyropo  
30 impressa haerebit stabili Constantia nisu.  
31 Arte illinc mira viridanti insculpta smaragdo  
32 attollet placidos hilaris Clementia vultus.  
33 Nec procul hinc aberit tranquillae Pacis imago  
34 candida crystalli eximio preciosa labore.  
35 Tum praestans animo, bello jam clarus et armis  
36 et pietate puer, magni Herculis aemulus ipse  
37 et magnum Herculeo nomen de nomine ducens,  
38 fratrem observabit custos jam fidus et ultor  
39 post tua terga sequens. Populorum hic vota precesque  
40 suscipies ac jura dabis. Magna atria adibunt  
41 ac responsa petent externae Borsia gentes.  
42 Conditor ipse operum tantorum idemque sacerdos  
43 ante fores templi niveo velamine tectus  
44serta geram et ludent hedera pendente corymbi.  
45 Mille albas vicinus oves mihi campus habebit  
46 ac totidem faciam tauris tibi, pingua qui nunc  
47 Eridani juxta ripas mihi pascua carpunt,  
48 qui candore nives et lactea pocula vincunt,  
49 incensaque sacer late fumabit acerra  
50 Assyriae telluris odor. Teque omine fausto  
51 et tua sacra canam ; tu sacris optimus adsis.  
52 At Pius interea Gonzagae ad moenia regis  
53 concilium indicens Romanas liquerat arces.  
54 Non illum saevis Aquilonibus horrida certum  
55 mutat hyems, non ulla movent latitantia mentem,  
56 qualia saepe ferunt, varii discrimina casus,  
57 non amor ipse loci, non Augustalis amoeni  
58 dulce supercilium retinent, non copia rerum,  
59 non hominum spectata fides, non corporis obstant  
60 invalidi fractae vires tentataque saevis  
61 membra malis toties, non longae territatus ulla est  
62 asperitate viae senior, quin sanguinis ultor  
63 Argolici capere arma duces populosque Latinos  
64 externasque simul gentes hortetur et acri  
65 Turcigenas bello invadat totaque fugatos



66 Europa Geticum penitus detrudat ad axem  
67 Romanamque fidem sublato errore nefando  
68 legis Amirreae primos extendat in ortus  
69 victor et egregia referat cum laude triumphum.  
70 Atque ita per Latium et Picena per oppida rebus  
71 compositis, veluti tempus ratioque locusque  
72 poscebant, cupidus patrias invisere sedes,  
73 cum primum hibernis exactis mensibus aestas  
74 inciperet, Senam accedit ; pulcherrima post haec,  
75 Tyrrheni caput imperii, Florentia patrem  
76 accipit. Hinc gravibus celebrata Bononia legum  
77 sacrarum studiis nec non exercita tristi  
78 seditione virum quondam et civilibus armis  
79 exagitata diu, sed nunc sub gente quiescens  
80 Bentivola et paci indulgens, tanto hospite gaudet.  
81 Hinc ubi discessit longe post terga relictis  
82 aggeribus celsi glacialibus Apennini,  
83 applicuit demum nostris pater optimus oris,  
84 principe ab Estensi magno susceptus honore.  
85 Ingreditur laetam multis cum milibus urbem  
86 agmine purpureo patrum comitatus. At omnem,  
87 qua facturus iter fuerat, praeclara tegebant  
88 ornamenta viam et regali umbracula luxu.  
89 Dant festos delubra sonos, et sidera rumpunt  
90 multiplici clangore tubae. Tum vocibus omnis  
91 responsat circum tellus tantique paratus  
92 miratur summo Eridanus de gurgite pompam.  
93 Alba sacerdotum series longo ordine cantus  
94 Pontificem venerata dabat, coetusque togati  
95 purpureos habitus suffultos pellibus albis  
96 distinctis atro induerant binique praeibant.  
97 Pone sequebantur velis fulgentibus auro  
98 Pontificem obtectum princeps procerumque catervae  
99 et populi glomerata manus ; pulcherrimus ipse  
100 Borsius ante omnes gemmis radiabat et auro.  
101 Aurea caesaries per candida colla fluebat,  
102 fulvaque purpureum capitis velamen iaspis  
103 in nodum artificem nexu insigniverat auro.  
104 Auratae impositus sellae Pius atque coronam  
105 ordine gemmarum insignem varioque labore  
106 distinctam gestans veneranda voce pioque  
107 signabat populum ritu, quem munere bis sex  
108 partito juvenes passu concorde ferebant.  
109 Tectorum ante foras pueri matresque senesque  
110 suppliciter strati ad terram venerantur euntem  
111 votaue suscipiunt, ut perfida sospite tandem  
112 turba Pio cadat et proprio det sanguine poenas.  
113 Maximus interea populo stipante sacerdos  
114 augustum ingreditur templum et procedit ad aram  
115 marmoreis gradibus sublimem ac divite cultu  
116 instructam et multo fragrantem thuris odore.  
117 Ast ubi adoratis humili pater ipse precatu  
118 numinibus templo excessit, regalibus illum  
119 aedibus induxit princeps thalamisque paratis.  
120 Regifico splendore Pius lectique ministri  
121 successere simul nec dulcis munera Bacchi

122 nec variae desunt epulae ; comitesque per urbem  
123 hospitiiis cives laeti excepere benignis.  
124 Tertia lux aderat ; coeunt ducis undique jussu  
125 artifices operum et nexas per mutua certis  
126 ordinibus posuere trabes, quas dura ligabant  
127 robora fixa solo inter se, junctasque tenebant  
128 asseribus super instratis, totumque tenaci  
129 firmabatur opus et pervia semita ferro.  
130 Sic pontem a prima surgentem fronte palati  
131 sublimem aedificant, medioque immensa repente  
132 machina ducta foro magni alta ad limina templi  
133 continuat gressum Attalico velata labore.  
134 Huc Pius ex altae summis penetralibus aulae  
135 se tulit exorto maturae tempore lucis.  
136 At veneranda cohors, cui sacrae a cardine sedis  
137 nomen Roma dedit, rutilis ornata galeris,  
138 serica quos paribus decorant pulcherrima nodis  
139 vincula et intonsis errant per pectora barbis,  
140 hunc sequitur ; nec non titulis et honore minores  
141 Pontifices una coeunt niveasque coronas  
142 induti a tergo vittis pendentibus omnes  
143 per longam Estensi incedunt cum principe molem  
144 subjectumque oculis populum velut aggere ab alto  
145 despiciunt sacraeque domus ad limina tendunt.  
146 Hic ubi sedato praeconis voce tumultu  
147 consedere patres, florens Hieronymus annis  
148 at virtute senex celsa de sede theatri  
149 surgit, Paeonia praestans Hieronymus arte,  
150 Castella de gente satus, gratissimus idem  
151 aspectu et dulci Musarum captus amore,  
152 qui maris et terrae tractus et sidera caeli  
153 atque vices rerum et causas et tempora norat.  
154 Ille hominum conversa videns in se ora, parumper  
155 conticuit velut attonitus similisque paventi  
156 demisso ad terram vultu ; dehinc lumina rursum  
157 sustulit et placide incipiens his vocibus omnem  
158 consessum alloquitur dirumque hortatur in hostem :  
159 "Maxime, rem dignam, antistes sanctaque verendi  
160 religione patres, hac tempestate videmus,  
161 vos tantos coiisse viros ac moenia nostrae  
162 urbis adire simul Borsique fidelibus uti  
163 hospitiiis magna acturos. Dare numina nobis  
164 nil potuere magis gratum ; nil majus habere  
165 possumus. An quicquam conventu pulchrius isto  
166 esse putem ? Effigies ipsas habitusque deorum  
167 tales esse reor, quales hic cernere fas est.  
168 O nimium felicem urbem civesque beatos,  
169 quos apud immensi nunc maximus arbiter orbis  
170 totque duces, terras virtus quos clara per omnes  
171 distulit et quorum aspirat jam gloria caelo,  
172 dignantur duxisse moram ! Tuque, optime Borsi,  
173 cognatae adventu gentis cape gaudia coram,  
174 quae meditatus eras animo, dum talis abesset  
175 hospes adhuc tibi tot precibus votisque petitus !  
176 Attigerat nostras rumor jam saepius aures  
177 te, pater, in saevos meditatam ultricia Turcas

178 bella, gravi quae tu distractus turbine rerum  
179 distuleris, nunc nolle pati tot acerba tuorum  
180 funera et illatas ullo sine vindice clades.  
181 Ista quidem cepere hominum solatia mentes,  
182 et spes grata fuit. Sed postquam vidimus omni  
183 te studio in bellum ruere et certa arma parari,  
184 quis referat, quantum attulerint tua fortia coepta  
185 laetitiae et quanto populos terrore levaris ?  
186 Fama refert rabidos jam compressisse furores  
187 immanem Ottomanon audito nomine tanti  
188 Pontificis trepidamque extrema per avia regni  
189 praecipitare fugam et Thracum spectare latebras  
190 infractis animis pulsum victumque fatentem  
191 se magna virtute Pii tantique senatus  
192 consiliis ac tot populorum fortibus armis.  
193 Caesaris ecce ferox ductu Germania tecum  
194 bella parat. Getici jam pridem nominis hostes  
195 Pannonii tibi se jungunt acresque Bohemi.  
196 Gallia sentit idem assiduis exercita bellis  
197 Hispanusque manu promptus divesque Britannus.  
198 Nec minor Illyricas gentes fortesque Liburnos  
199 ardor agit, nec clara Rhodos comes ire negabit  
200 nequicquam insidiis tentata armisque Getarum.  
201 Sunt aliae gentes, quas terra pontus ab omni  
202 dividit atque undis spumantibus undique cingit.  
203 Has pietatis adhuc memores ritumque sequentes,  
204 religio quem nostra tenet, deducere tecum  
205 instructas classes opibusque virisque videbis.  
206 Quid loquar indomitas vires animosque superbos  
207 Italiae, cui tu dare frena gravissimus auctor  
208 ingenti ratione vales, quam reddere totam  
209 concordem te posse omnes uno ore fatentur ?  
210 Haec est illa, pater, per tot clarissima pugnas,  
211 solis ab occasu victrix quae solis ad ortum  
212 Romani imperii fines asperrima bello  
213 protulit. Haec iterum sua sub juga mittere cunctas  
214 unanimis poterit gentes, concordia si nunc  
215 te duce per populos oritur regesque Latinos.  
216 Non tibi magnanima deerit cum prole Ferandus,  
217 praeclarum Alphonsi regis genus, incllyta quo sub  
218 Parthenope fama ingenti jam sidera pulsat.  
219 Adriacae dominator aquae terraeque subactae,  
220 qui tantum imperium moderatur legibus aequis,  
221 arma aurumque dabit Venetus navesque virosque.  
222 Ipse etiam senio princeps confectus, ut aiunt,  
223 insueto de more Pium comitabit euntem.  
224 Sforziademne putas tanto in discrimine regem  
225 justa negaturum auxilia et sine laudis amore  
226 otia torpentem acturum, quem Mantua fertur  
227 exspectare tuis monitis coeptisque faventem ?  
228 An Florentinae in summos notissimus urbis  
229 Pontifices amor atque illa observantia, qua te  
230 prosequitur, veneranda sequi vix illa recuset ?  
231 Martia quo rabidos animo lupa te duce, qua vi  
232 aggressura canes ? Quid enim tua, maxime praesul,  
233 Sena magis cupiat, quam tali tempore tecum

234 pro sacra pugnare fide votique potentem  
235 te vidisse tui, cujus tua gloria magnum  
236 nomen ad astra tulit ? Perusinam his adjice gentem  
237 innumeramque simul pubem regionis Etruscae  
238 Picenique soli et magnae parentia Romae  
239 oppida ! Tum cultor Musarum atque inclytus armis,  
240 tempora non uno contentus cingere lauro,  
241 dux erit auxilio Federicus et agmina saevos  
242 terrores inter bellorum exercita ducet.  
243 Nec dum Pandulphi claro de sanguine fratres  
244 hinc aberunt, Malatesta animi virtutibus ingens  
245 Sismundusque ferox et Martis ad aspera natus  
246 proelia ; jamque tuus, tibi jam bellare paratus,  
247 Ordelaphis Pinus ortus avis, Taddaeus et Hestor  
248 Manfredi sese bis jungent, quos ille sequetur  
249 Sforziadae stirps clara senis Constantius armis  
250 inclytus, antiqua tibi missus ab urbe Pisauri.  
251 Qua vero mente in te sit Gonzagius heros,  
252 ecce vides, cum regnum ipsum propriosque penates  
253 seque tibi obtulerit, cunctis felicior unus  
254 regibus Italiae tanto delectus honori.  
255 Quem latuisse putas, quantum tibi deditus hic sit  
256 unicus in Latiis Phoenix dux Borsius oris ?  
257 At quo contendat studio se reddere promptum  
258 ad nutus, Pi magne, tuos, effusa per omnes  
259 laetitiae nova forma gradus et regia nullam  
260 pompa habitura parem et, quales praestare solemus  
261 caelicolis, tibi largiti testantur honores.  
262 Accipe cuncta libens, animo quae tantus amico  
263 porrigit affinis tuaque idem ad jussa paratus !  
264 Praeterea hoc sceptrum, haec portarum claustra suasque  
265 laetus opes me offerre Pio suaque omnia jussit,  
266 quae tibi grata fore et tantis accommoda rebus  
267 duxerit ; haud horum quicquam pro viribus ipse  
268 non acturus erit. Si pro communibus ergo  
269 haec dixisse bonis decuit, neque ineptus et audax  
270 arguitur, si recta monet, si debita poscit,  
271 te, cui Romanae permissa potentia sedis,  
272 in quem oculos cunctus terrarum conjicit orbis,  
273 orat, ut insistas operi coeptumque laborem  
274 perficias, postquam ad tantos non vana paratus  
275 undique praesidia ostentant populique ducesque.  
276 Tu neque fortunae obsequio nec dotibus ullis  
277 ingenii cuiquam cedis, praesentia sive  
278 saecula, seu prisca monumenta revolvimus aevi.  
279 Nil tamen, unde magis tanta elucescere virtus  
280 possit et unde queat sibi tantum acquirere laudis.  
281 Mortales miseros plerumque accendit inanis  
282 gloria, perque truces gladios caedesque nefandas  
283 praecipites in bella ruunt alienaque regna  
284 diripiunt, scelerum poenas post fata daturi.  
285 Hic pietas, hic sacra fides ; hinc vera paratur  
286 fama tibi, hinc justae ratio pulcherrima praedae  
287 quaeritur ; haec demum via ducit ad aurea caeli  
288 sidera. Te domita video Maomethide terra  
289 victorem in Latium, superet modo vita, redire".

290 Intentas dictis jam dudum talibus aures  
291 immotosque tenent oculos et ab ore loquentis  
292 Adriaci pendent proceres Romaque profecti.  
293 Ast ubi grata dedit verbis facundia finem,  
294 protinus exoritur consessu laetus ab alto  
295 plausus et ingenti fautricis murmure turbae  
296 omne simul templum resonat. Tum voce benigna  
297 castellum accersit Pius ipse et ad oscula sacri  
298 prostratum pedis admittit summoque favore  
299 hinc atque hinc geminis laudatum amplectitur ulnis.  
300 Interea jam quarta die processerat hora ;  
301 surgitur atque omnes per pontem ad regia tecta  
302 se referunt positisque ineunt convivia mensis.  
303 Jam quater exoriens terras atque aethera Phoebus  
304 igniferis lustrarat equis et missus ab ortu  
305 aera per liquidum flabat violentior Eurus.  
306 Digressurus agit grates atque omnia regi  
307 offert grata Pius ; nec patrum sacra minore  
308 hoc manus exsequitur studio ; portumque petentes  
309 conscendere rates, quas Borsius ante parari  
310 jusserat, ornatas ardenti murice pictas  
311 per tabulas radiante auro stratasque tapetis ;  
312 rectoresque viae dederat suaque arma carinis.  
313 Spumiferum cursu rapido sinuosa per amnem  
314 crebrae vela ferunt nautis cessantibus aurae  
315 Maeoniaeque iter accelerant ad moenia Mantus.  
316 Interea magnus gelida Federicus ab Arcto  
317 venit in Italiam, ut solito de more coronam  
318 Romani imperii caperet, quem Borsius aula  
319 magnifice instructa accepit procerumque catervas.  
320 Quis varios lusus totamque agitata per urbem  
321 gaudia, quis festos templorum dicat honores ?  
322 Multiplices lautasque dapes preciosaque Bacchi  
323 diversis convecta locis quis munera narret ?  
324 Altera lux aderat ; populi coiere ducesque  
325 augustum in templum. Perfectis ordine sacris,  
326 haud mora, Carbonem praeclare Caesar et omne  
327 concilium ingenti studio vultuque benigno  
328 audiit orantem, et meruit facundia laudem.  
329 Mortalem exsuperans formam pulchraque juvenu  
330 floridus ingentem procedit Borsus ad aram,  
331 atque hic Caesareos habitus sceptrumque ministri  
332 gestamenque sacrum capitis praeferre jubentur.  
333 Cultibus his juvenem Estensem rex Austrius ornat  
334 et solito ritu solemnia verba locutus  
335 dat nomen ducis, unde sibi famamque decusque  
336 per seriem acciperent, qui regni sceptrum tenerent.  
337 Ordine mox lectos proceres insignit equestri  
338 plurimaque indulgens gemmis permittit et auro  
339 fulgere, quod proprio praesens, ut saepe videmus,  
340 per luxum arbitrio sibi turpiter arrogat aetas.  
341 Quarta dies oritur ; magni instaurantur honores  
342 hospitibus ; peragrant urbem delubraque visunt.  
343 Festus ubique sonat plausus nec mollia desunt  
344 Caesaris ad caelum referentia carmina laudes.  
345 Vidimus armatos juvenum concurrere coetus

346 ensibus obtusis ferroque carentibus hostis  
347 Martem exercentes simulataque bella cientes.  
348 Quam gratum spectare fuit certamina circi,  
349 unguibus et vasto rictu et clamore minaci  
350 horrendo implicitum amplexu cum Alpina teneret  
351 ursa canem rabidoque inferret vulnera morsu,  
352 venantum donec letalibus obruta telis  
353 conciderat pariter vitam exhalante Molosso ?  
354 Mille feras varii generis variique coloris  
355 per vallum ad pugnam immissas Federicus et omnes  
356 Pannonio cum rege duces ac nostra juvenus  
357 cernere laetati, plausumque dedere theatra.  
358 Non dedignatus Laurentis Caesar ad aedes  
359 ferre gradum et dulci cantu fidibusque canoris  
360 praestantes audire viros, spectare choreas  
361 nympharum et celebrare hilari convivium vultu.  
362 Frigida transierant hibernae tempora brumae  
363 et jam magnanimus Latiam Federicus ad urbem  
364 se tulerat, summi hospitio feliciter usus  
365 Pontificis votique sui super omnia compos.  
366 Huc iterum divertit iter pretiosaque portans  
367 a duce dona suo patrias remeavit ad oras.  
368 His quoque temporibus legatus regis ab alta  
369 Parthenope huc sese tulerat Pontanus, amicus  
370 Pontanus Musis umbraque Heliconide dignus.  
371 Ille igitur posita curarum mole parumper  
372 et secum accitis, comites quos Borsius illi  
373 jusserat ire viae, vicinos perguit in agros.  
374 Tum Belliguardi celebrem superantia famam  
375 Regia tecta petit ; jucundo hic splendida gestu  
376 et placidis hilarat pransus convivium dictis,  
377 ipse joci plenus regumque adsistere mensis  
378 assuetus, Bacchi cultor, sed Tethyos hostis.  
379 Inde Padi ripam accedit Codreia vates  
380 rura petiturus cupidusque invisere sylvam,  
381 finitimas unde exierat jam creber ad oras  
382 rumor, ubi indigenae facies vidisse deorum  
383 nonnumquam et sacros cantus se audisse ferebant.  
384 Huc rate devehitur paucis, quos duceret, omni  
385 ex numero comitum lectis sylvamque peragrat.  
386 Lucus arenoso surrexerat altus in amne,  
387 Cedraeae quondam nymphae sacer, unde minores  
388 accepisse putant nomen Codreia rura.  
389 Hic umbrosa vagae volucres loca dulcibus implent  
390 questibus et virides luxu ingeniosa decenti  
391 pingit odoratis natura coloribus herbas.  
392 Glaucia Naiadum Dryadumque pulcherrima Lysis  
393 assuetae luco rapidos hic saepius ambae  
394 lenibant aestus positae sub mollibus umbris.  
395 Tum mistas vario texentes flore coronas  
396 et Philomelaeis certantes cantibus ambae  
397 longa moraturae fallebant tempora lucis  
398 fessaque venatus reparabant membra labore.  
399 Tunc quoque sub densa requierunt ilice, cum sol  
400 ignibus aethereis altissimus ureret arva  
401 occasumque pari spatio spectaret et ortum.

402 Progređitur vocisque procul venientis ad aures  
403 dum captat sequiturque sonum Pontanus, ad ipsas  
404 pervenit et placida stupefactus voce salutatur  
405 atque ait : "O sacrae comites nam cultus et arma  
406 et locus indicium mihi dant sic esse Dianae,  
407 parcite, si vestros ignarus et advena lusus  
408 turbavi ! Neque enim est animus mihi laedere quemquam,  
409 sed cupio sylvam hanc et fortunata vireta  
410 cernere, si fas est. Parnasi me quoque dignum  
411 fontibus atque umbris doctae duxere sorores ;  
412 Pontanumque suos inter clarissima vates  
413 Parthenope non obscuro dignatur honore.  
414 Me vero haud levibus spectata industria rebus  
415 atque fides gratum regi fecere Ferando,  
416 cujus ego orator vestra nunc commoror urbe.  
417 At me secessus fama huc perduxit amoeni,  
418 quem multum licet admirer, tamen adjicit illi  
419 eximium, nymphae, praesentia vestra decorem".  
420 Lysis ad haec, "Non te, hospes", ait, "sententia fallit.  
421 Namque sacri quondam voluit nos Cynthia partem  
422 esse chori et vitam per opacos ducere saltus.  
423 Libera visendi est omnem tibi copia lucum,  
424 et te, Pontane, his nemo penetralibus arcet  
425 nec potes adveniens quicquam huc afferre molesti.  
426 Namque feras inter quamvis versamur ab omni  
427 semotae coetu populorum atque urbibus altis,  
428 non tamen obtusis adeo sumus auribus, ut non  
429 ad nymphas ierint sanctorum nomina vatam.  
430 Nec rursus in tanta caecae caligine rerum  
431 volvimur, ut, quantum vobis hominesque deque  
432 se debere putent, quoniam stat carmine vestro  
433 gloria, nos fugiat vestros neque amemus honores.  
434 Grata quidem sunt, quae nostris de laudibus infers ;  
435 dexteritas vero morum generosa tuorum  
436 haec fortasse tibi suasit tam digna locuto".  
437 Sic effata locum vati comitata sorore  
438 monstrat et huc illuc umbrosa per avia ducit.  
439 Singula mirantem placidis mox Glaucia dictis  
440 alloquitur : "Forsan nemus hoc habitabile tectum  
441 esse putas, Pontane, feris et honore carere  
442 Numinis : exstat honos et habet sua numina lucus.  
443 Hunc formosa sibi tenuit Cedraea dicatum  
444 et nunc saepe tenet veterem mutata figuram.  
445 Hanc Phytalea genuit, quo non felicius alter  
446 inseruit virides plantas, tot poma nec alter  
447 carpsit, nec tot apes nec tantum mellis habebat,  
448 nec tot claudebat stabulis armenta, neque alter  
449 tot niveas pascebat oves, tot prata secabat.  
450 Unica nata fuit, quae praestantissima forma  
451 innumeris dilecta procis contempserat omnes.  
452 Cumque sibi generum Phytalea nam Silvia mater  
453 saucia letifero morsu decesserat anguis  
454 jam legeret censusque suos pro dote referret,  
455 maluit innuptae virgo servire Dianae  
456 venatrixque latus pharetra succinxit et arcum  
457 sumpsit et ad silvas abiit genitore relicto.

458 Laeta suas inter Dryadas suscepit et illi  
459 multum indulgere et confidere Delia coepit.  
460 Saepe suos arcus illi, sua tela suosque  
461 sic magnus suadebat amor ! Praebebatur amictus.  
462 Illa procul certa pascentem vallibus imis  
463 cuspede fixit aprum, Trivia vel doctior ipsa  
464 aethere candentem cygnum dejecit ab alto.  
465 Laudabant mores formamque artemque magistram,  
466 saepius ultra foret dubitantes Cynthia, nymphae,  
467 ni dea fudisset planos per colla capillos,  
468 crispas illa comas aptum religasset in orbem.  
469 Saepe sub his quoniam venandi fessa labore  
470 sederat arboribus Zephyros et frigora captans,  
471 religiosa locum hunc illi sacrasse vetustas  
472 dicitur et statuisset diem solemnibus aris,  
473 quem <modo>, Paule, tuo celebrant in honore minores,  
474 postquam induxerunt alios nova saecula ritus.  
475 Has etiam terras Cedraeae ab nomine nymphae  
476 Codraeas perhibent mutata parte vocatas.  
477 Huc semel in rapido se forte receperat aestu ;  
478 solaque nudatos dum flumine perluit artus  
479 nec timet insidias nam circumspexerat ante  
480 omnia, vicino de gurgite Sandalus exit,  
481 Sandalus, Eridani soboles, quem prima sororum  
482 namque Padi juxta ripas habitasse feruntur  
483 pulchra sub undisona peperit vertigine Syrtis,  
484 insidias vitae miserorum, ut fama ferebat,  
485 letali amplexu quae tendere juvat amantum.  
486 Virginis ille gravi frustra correptus amore  
487 arserat et voto spem saepe repulsus alebat.  
488 Ergo improvisam, subito et nil tale timentem  
489 occupat, ut tremulis nudam conspexit in undis.  
490 Paene metu exanimis cecidit, subitusque per ora  
491 it pallor, gelidumque fuit sine sanguine corpus.  
492 Ut vero amplexu sensit sua membra ligari,  
493 reddita vix dum etiam menti exclamavit ad auras :  
494 "Affer opem miserae, fer opem mihi, Cynthia ! " Dixit,  
495 quaque potest, nunc hac nunc illa a parte resistit  
496 pertentatque fugam. Positae in discrimine tanto  
497 adfuit auxiliumque tulit Latonia. Namque  
498 facta novis ales dictu mirabile pennis  
499 evolat atque levem in manibus tibi, Sandale, plumam  
500 pro membris sic fama refert ablata reliquit.  
501 Ast illam indigenae mutato corpore Guacum  
502 a vocis dixere sono. Nunc stagna lacusque  
503 exiguos pisces rostro insectata pererrat.  
504 Inde famem saturata redit solitosque recessus  
505 incolit, utque vides, sedet illis plurima ramis  
506 atque sui generis, quarum ingens suspicis agmen,  
507 pulchrior alitibus veluti regina coronam  
508 insignem ante alias sublimi in vertice gestat".  
509 Glaucia finierat ; vates non rusticus illis  
510 munere pro tali grates agit, atque ita fatur :  
511 "Non ego vos, nymphae, dignis extollere possem  
512 laudibus et meriti me nulla obliviam tanti  
513 immemorem, quamvis aeterna in saecula vivam,



514 reddent ac semper vestri meminisse juvabit.  
 515 Non animis quicquam potuit generosius istis  
 516 natura curante dari, faciemque dearum  
 517 persimilem formae superat nova gratia morum.  
 518 Quid referam sacrae decus admirabile sylvae  
 519 ac dulces avium loca per genialia cantus ?  
 520 At mea ne vestras fortassis inepta cupido  
 521 distineat nimium mentes turbetque morando,  
 522 discedam et, si quid poterint mea carmina, vester  
 523 vivet honos neque vos Pontanum huc isse pigebit".  
 524 Dixerat et cymba nymphis comitantibus, ipsi  
 525 accepta ut placuit venia, transmittitur amnem.  
 526 Hinc Quartissanae peragrans felicia rura  
 527 Castello comite egregias Laurentis ad aedes  
 528 se tulit hospitioque illic susceptus amico est.  
 529 Interea lauto instruitur dum cena paratu,  
 530 lumine Pontanus cupido per singula fertur  
 531 omnia mirifice laudans, ubi purior aura  
 532 vernantis Zephyri per amoenas sibilat umbras  
 533 pomiferi nemoris, varios ubi cincta virenti  
 534 margine riparum claudunt vivaria pisces,  
 535 quae propriis renovat deducta canalibus unda  
 536 accersita Pado, stagni consaepus inertis  
 537 ne dirum exhalet concretis sordibus humor  
 538 squamiferumque gregem tristi tabescere morbo  
 539 cogat. Ibi dulces exercet garrula cantus  
 540 flebilibus Philomela modis noctesque diesque  
 541 Sandalidem ad ripam frondentibus abdita ramis.  
 542 Musarum loca digna choro, si forte relictas  
 543 valle Aganippaea juvet has accedere sylvas.  
 544 Hic geminos mansere dies, ubi digna serentes  
 545 colloquia inter se rerum miracula narrant,  
 546 quae variis natura modis mitissima gignit  
 547 atque fovet, nec non animo et sermone vagantur  
 548 per lunae solisque vias et sidera caeli.  
 549 Inde super Borsi gestis cum multa rogaret  
 550 hospes, et unde genus soboles praeclara tulisset,  
 551 plurima secum animo repetens Hieronymus inquit :

## LIBER SEXTUS

B\_6 v.1 "Rem, Pontane, petis, quae non indigna relatu.  
 2 Magnanimi quis enim vitam cognoscere Borsi  
 3 non cupiat, tantave loqui de stirpe recuset ?  
 4 Pauca tibi e multis breviter certissima tangam.  
 5 Si prius antiquae narrando excurrimus urbis  
 6 principia, haud alienum ab re fortasse putabis.  
 7 Namque, ut magnifico fuerit renovata labore  
 8 nostrorum regum, agnosces, pulcherrima visu,

9 clara viris opibusque potens, non indiga rerum,  
10 quam generi humano ad victum pecorique benigna  
11 indulget natura manu, gratissima caelo  
12 Pontificumque eadem semper fidissima rebus.  
13 Illa Vigentinis, qua Sandalus influit, arvis  
14 dicta olim, ut perhibent, Babylonia nomine Mansa  
15 praebuit hospitium multis mortalibus ora.  
16 Non tamen hanc formam regio vultumve tenebat,  
17 quem nunc aspicimus. Ferme omnia namque paludes  
18 piscosae obruerant, nullisque coercitus ingens  
19 riparum objicibus Padus hic stagnabat et illic,  
20 par maris immensi aequoribus ; loca rara manebant  
21 tuta ab aquis, atque hinc memorant data nomina Mansae.  
22 Maxima finitimae cum vero incommoda gentes  
23 saepius inferrent, alios petiere recessus.  
24 Haud procul hinc templum, tenet unde Georgia nomen  
25 insula, non auro pretiosum aut ditibus aris  
26 nobile, sed veteri indigenis venerabile cultu.  
27 Hunc vallo fossaque locum cinxere, diuque  
28 hic positis profugi domibus templisque morati  
29 has etiam sedes populo crescente relinquunt  
30 et ratibus vecti ripae ulterioris ad oram  
31 Pontificis summi jussu nova moenia ponunt.  
32 Optimus hic urbis te Vitalianus honore  
33 reddidit insignem et magnis, Ferraria, donis  
34 ditavit camposque tibi concessit opimos  
35 atque sacros petere hinc ritus, qui templa tenerent  
36 hos intra fines, jubet et parere Marino,  
37 magnarum cui mox rerum permissa potestas.  
38 Praesule multa sub hoc studio delubra per agros  
39 aedificata pio, sacrae reverentia legis  
40 inducta et mores posita ruditate vetusta  
41 mutati in melius, pulchri observantia recti  
42 viribus aucta novis ; magnis successibus haec gens  
43 floruit his terris vitam ducente Marino.  
44 Si memorare velim plus quam privata potentis  
45 facta Salinguerrae et quibus hanc se dives ad urbem  
46 agmine fidorum magno comitante clientum  
47 temporibus Marchsella tulit diversa secutus  
48 consilia atque animo et factis contrarius illi,  
49 progrediar longe et variis ambagibus errem.  
50 Quid referam patriae cupidos turbare quietem  
51 Frattigenas et Fontanos Leutosque Rigosque  
52 Arnoldosque truces ac seditionis Homonem  
53 auctorem in populo pretiumque inducere majus  
54 optantem annonae claudentemque horrea Talpam ?  
55 Quid vos in medium adducam, conducere solem  
56 quos voluisse ferunt ac ventos navibus aptos,  
57 purgantesque novam praesenti flamine messem,  
58 aera per liquidum quam jactavere coloni ?  
59 Ergo ubi praecipitem demens discordia turbam  
60 egit et inter se conflatis omnia cives  
61 turbavere odiis et publica cura relictata est,  
62 alter in exitium alterius consurgere coepit.  
63 Quique minus valere, suis dum viribus ipsi  
64 diffidunt, mox externis, quae causa malorum est,

65 auxiliis dominos urbi imposuere vocatis.  
66 Sed non parva tamen restant solatia genti,  
67 quod domus Estensis placida ditione regendam  
68 consensu populi magno susceperit urbem.  
69 At mihi sive duces Latios proponere, sive  
70 externos libeat, proprio seu fingere quemquam  
71 maluerim arbitrio, Borsi quos laudibus aequem,  
72 haud facile occurrunt animo, divinaque terris  
73 omnibus ac caelo sese offert cognita virtus.  
74 Quippe inter magni faustos patris acta penates,  
75 clara rudimenta et teneris quae gessit ab annis,  
76 summum illi decus ac meritum peperere favorem.  
77 Vividus ingenuae rigor indolis, omnia quondam  
78 maxima pollicitus supra quam credere fas est,  
79 indicia atque hominum spem vicit et omine certo  
80 principis exhibuit praeclari signa futuri.  
81 Imperio sed quae pulcherrima gessit adepto  
82 post Leonelleos obitus memorare priusquam  
83 aggrediar, dicam pubentia tempora vitae.  
84 Undecimo addiderat menses bis quattuor anno  
85 Borsius, et pietas animo prisca haesit amorque  
86 justitiae jam tum puerili eluxit in aevo.  
87 Nec minus ingenii tantum se erexerat ardens  
88 impetus, ut facile aequaevos superaverit omnes.  
89 Eloquioque parem vix saecula prisca tulissent  
90 aut praesens aetas aut postera, talibus omnem  
91 si studiis enixe, operam impendisset eumque  
92 ni rerum series Alio diversa vocasset.  
93 Quid varios lusus annis puerilibus aptos  
94 commemorem celerisque pilae fortisque palaestrae,  
95 in quibus artificii virtus apparuit ingens  
96 juncta magisterio ? Quid, cum certatur utrimque  
97 proeliaque obtusis gladiis simulata cientur ?  
98 Et modo sublatis manibus caput arduus ictu  
99 occupat adversum celeri, modo callidus imos  
100 percutit ense pedes bellator. Et omnia tentat,  
101 quaque aditus faciles pateant ad vulnera, lustrat.  
102 His agilem dum se reddit dumque laboris  
103 membra parat ; juvenes omni in certamine victor  
104 ipse puer magnis anteibat laudibus et, cum  
105 gloria sublimen ferret, nova gratia semper  
106 affuit atque omni penitus livore carebat.  
107 Quin etiam cantu docilem fidibusque sonoris  
108 Delius instituit, ne pars ea laudis abesset.  
109 Jamque instructa novis adolescere moribus aetas  
110 firmior ac propius velox instare juvena  
111 coeperat. Haud segnem lasciva per otia vitam  
112 ducere cura fuit turpique infringere luxu,  
113 sed teneros artus aestivo sole geluque  
114 durare atque sitim pariter tolerare famemque.  
115 Tum varios forti discens perferre labores  
116 pectore et antiqui, retinens vestigia moris,  
117 quem vetus Ausonia et prisca tenuere Sabini,  
118 semper in aucupiis atque in venatibus esse  
119 gaudebat lautis epulis atque urbe relictis.  
120 Et modo, qua juncosa patet Garrusola vel qua

121 Sanzani regio campis se effundit apertis,  
122 assuerat canibus lepores agitare Britannis,  
123 et modo vel sacrae lustrare juvabat opacos  
124 Pomposiae lucos vel quas fert Mensola sylvas  
125 fulmineosque sues atque agmina dira luporum  
126 sectari canibus, quos fortis Alassia mittit.  
127 Nec timor impediit, vasto si corpore sylvas  
128 frangeret incanus fera terga diuque paludem  
129 Adriacam depastus aper, quin se ipse furenti  
130 strenuus adversum objiceret ferroque minantem  
131 appeteret letoque daret rabido ore frementem.  
132 Sed neque Acidalio volucres de sanguine natas  
133 et, quas Ortygiae primum et quas Phasidis arva  
134 urbibus Italiae quondam misisse feruntur,  
135 accipitre et multa patriis indagine campis  
136 cura minor vexare fuit, dehinc tempore certo  
137 Strymonias agitare grues falcone rapaci,  
138 cui celer egregie pugnanti hostemque tenenti  
139 unguibus ac rostro docta succurreret arte  
140 non ignara canis praedamque tenacius urgens  
141 desuper haereret tandem premeretque jacentem  
142 nusquam saeva movens infixis dentibus ora,  
143 ne bellatorem turbaret inepta superbum.  
144 Nec minus edidicit, veluti per stagna fatiget  
145 idem victor aves, cum pronus ab aethere summo  
146 fertur in attonitum rapido cum turbine vulgus  
147 transgressusque fuga Boream contortaque dextra  
148 tela Jovis plausu leviter commota magistri  
149 in liquidos revolare lacus pavida agmina cogit.  
150 Fit strepitus, sese agglomerant, late unda resultat ;  
151 nec mora, remigio celeri se tollit in auras  
152 atque super dominum volitat coetusque loquaces  
153 despicit, an stagnis ausint prodire relictis  
154 observans, nec ab officio coeptisque recedit,  
155 terrifico donec sonitu de gurgite demum  
156 expulsam volucrem pedibus dejecerit uncis  
157 voce vel ad terram fuerit revocatus herili.  
158 Tum rutilo innexae corio brevibusque ligatae  
159 undique funiculis pennae versantur in orbem.  
160 Quin etiam expertus norat, quae proelia pernix  
161 ardua depugnet, vinclis ubi liber adeptis  
162 horrida magnanimus vocat in certamina miles.  
163 Ille autem magno clamore per aera fertur,  
164 nec diversus abit neque iter declinat ab hoste,  
165 sed rotat in gyrum sese trepidisque per auras  
166 orbibus instantem sequitur, ne Martius ales  
167 desuper invadat tractumque tenacibus hamis  
168 affligat terrae ; hoc metuens arte impiger omni  
169 huc caput armatum cristis obvortit et illuc  
170 comminus arrectis per colla nitentia pennis  
171 seque animo ingenti rostroque tuetur acuto.  
172 Sic suadente metu fatisque vigentibus audax  
173 nec facile aut cadit aut animam deponit inultus.  
174 Haec vero levia et gravibus contraria curis,  
175 injucunda tamen non esse putantur, et inde  
176 mens vires defessa novas corpusque resumunt,

177 assidue magno quibus ille ardore vocatur.  
178 Non minus oblectabat amor generosus equorum.  
179 Hos etiam nitidos atque in praesepebus altis  
180 cernere compositos et scandere saepe juvabat.  
181 Nec Graecorum adeo celebrati versibus olim  
182 progenies veneranda Jovis cum Castore Pollux  
183 hunc sibi praeferri merito potuisse negarint,  
184 seu cursu libuit campo exercere patienti  
185 spumantem alipedem Siculis in montibus ortum  
186 aut quem Gargani misisset Iapygis ora,  
187 sive levi cuperet fossam transmittere saltu  
188 undique praeruptam, seu pressis cogere loris  
189 orbis in angusti spatium fumantia docta  
190 colla manu admotis utero calcaribus arte  
191 nonnulla, ut quadrupes alte se vertat in auras.  
192 Ac velut ingenium mirantur numina ponti  
193 atque modos, Vertumne, tuos gratumque decorem,  
194 in quascumque libet mutato corpore formas,  
195 sic quoque per varios actus exercita quondam  
196 laudibus innumeris caelo se Borsia virtus  
197 extulit ac tantae jecit fundamenta molis  
198 permansura diu nostrisque in mentibus haesit.  
199 Unica nec flammis renovata potentibus ales  
200 jam victura suo reparans in funere vitam,  
201 mollibus in nidis ubi segnes exuit annos,  
202 gentibus Assyriis tanto celebratur honore,  
203 nec desiderio tantum commota fideli  
204 Niliaca inventum pubes veneratur Osirim,  
205 te viso quantum Ferraria sospite, Borsi,  
206 laeta erat et plausu magnum excipiebat alumnum.  
207 Et vario sermone super te multa serebat,  
208 aequaevos inter comites pulcherrimus ipse  
209 cum sublimis equo placidam veherere per urbem :  
210 hunc capit egregiae spes indolis, hunc movet aetas,  
211 hunc genus antiquum, praestans hunc gratia formae ;  
212 ille autem dexter, de quo modo plurima rumor  
213 gratantis populi cupidus referebat ad aures,  
214 cernere praesentem et conferre optata vicissim  
215 colloquia et fortem properans contingere dextram  
216 submovet obstantes manibusque et pectore turbas.  
217 His etiam in fratrem Leonelli gratia fratris  
218 accessit, quem, cum paucis praecederet annis,  
219 hic natu minor eximio observabat honore.  
220 At pater ingenti natum longaevus amore  
221 prosequitur studiumque sui populare favoris  
222 auxilio placidisque benignus vocibus auget.  
223 Norat enim claris excultum maximus heros  
224 artibus ingenium, et ratio pulcherrima vitae  
225 ante oculos aderat carique modestia Borsi.  
226 Verum illi quoniam regnum portendere fata  
227 atque novum antiquae decus illo principe genti  
228 accessurum olim vatium responsa monebant,  
229 laetus erat ; meritisque ingentibus undique captas  
230 cum mentes hominum primis tenuisset ab annis,  
231 haec eadem in natum populi procerumque voluntas  
232 non ingrata seni fuit atque hanc ipse fovebat.

233 Talis in Haemonia Thetidis clarissima proles  
 234 viribus atque animo celeris praecepta magistri  
 235 exsuperans olim crevisse fidelibus antris  
 236 dicitur, imperio superum quaerenda Pelasgis.  
 237 Ante tamen quam militiae narrare labores  
 238 incipiam ac, velut auspicio ductuque deorum  
 239 optatis sese juvenis commiserit armis,  
 240 ne, Pontane, tibi prima ignoretur origo  
 241 stirpis Atestinae, seriem decet altius omnem  
 242 discutere ac veterum monumenta referre parentum.  
 243 Jam longo annorum spatio primordia quamvis  
 244 obsita sint tanti generis, tamen inclyta facta  
 245 virtutesque virum in lucem prodisse videmus.  
 246 Argolicis cum jam cecidissent Pergama flammis  
 247 et profugi incerto diversa per aequora cursu  
 248 classibus errarent Teucris, satus Hectore Francus  
 249 jactatur vento Scythiae glacialis ad oras  
 250 atque illic parvam, ut perhibent, sibi condidit urbem.  
 251 Belfortes Franco genitus regionis abhorrens  
 252 saevam intemperiem caligantesque paludes  
 253 concipiensque animo coeptis majora paternis  
 254 aedificat classem, comites sibi deligit et, quo  
 255 fors tulerit, dat vela Notis patriamque relinquit  
 256 et tandem occiduum pelago delatus ad orbem  
 257 littoreos Gallos acri certamine victor  
 258 conantes terrae hospitio prohibere repressit.  
 259 Nec mora, pacatis animis in foedera gentes  
 260 finitimae Troesque simul coiere locusque  
 261 condendae datus est urbi campique feracis  
 262 pars in amicitiae pignus prope littora cessit.  
 263 Jamque novis sese indigenae Trojanaque pubes  
 264 connubiis jungunt, Belfortisque unica proles  
 265 magni dictus avi Priamus de nomine regnat.  
 266 Hinc alios etiam memorant longo ordine reges  
 267 Gallorum imperium tenuisse atque omnis, ut aiunt,  
 268 alterius Franci tellus de nomine dicta est  
 269 Francia, quae post haec auctores sanguinis hujus  
 270 protulit. Hac ille est ab origine Carolus ortus,  
 271 Carolus armipotens, tua clara, Pipine, propago,  
 272 fortia quem Magni decorant cognomine facta.  
 273 Nunc vero breviter tibi, qua ratione, quibus res  
 274 tanta modis et quo processerit ordine, dicam.  
 275 Gelicia, Aglantis Pellaeo sanguine creti  
 276 filia, Rugero nupsit, qui maximus inter  
 277 Gallorum proceres Rissa regnabat in urbe.  
 278 Ille ubi per scelus insidiis atque arte malorum  
 279 occubuit, magno mulier visura parenti  
 280 regnatam Libyen Tyriae Carthaginis urbem  
 281 advehitur jam plena viro partuque soluta  
 282 edidit in lucem puerum patrioque vocavit  
 283 nomine Rugerum, miseri solatia casus.  
 284 Cesserat e vita genitrix et posthumus infans  
 285 vix tribus addiderat menses bis quattuor annis  
 286 Africus antiquo hospitio conjunctus Aglanti  
 287 prole carens Atlas sibi mox suscepit alendum,  
 288 Atlas caeliferi Atlantis, quem pulchra parentem

289 Maia vocat, de gente satus, non artis avitae  
290 inscius et callens magicos ante omnia ritus.  
291 Hic leges morum egregias atque optima recte  
292 vivendi praecepta dedit magnamque potentis  
293 naturae seriem ostendit causasque latentes.  
294 Tum maris ac terrae et caeli quae forma, quis ordo  
295 et quo se zonae extendant per sidera tractu,  
296 multa requirenti senior monstravit alumno ;  
297 frigore nam saevo quae non habitabilis et quae  
298 torrida sit nimium vicinis solibus ora  
299 et quae temperiem praestet mortalibus aequam,  
300 edocuit puerum caelique arcana reclusit.  
301 Nec minus astra, quibus nomen prisca indidit aetas,  
302 quantum illuc fas est humanae accedere menti,  
303 singula quid prae se ferrent, hoc ille magistro  
304 edidicit neque eum latuit, sublimis Olympi  
305 bis septem insignis stellis qua parte Bootes  
306 luceat utque locum genua inter picta nitenti  
307 praebat Arcturo Plaustrumque volubile servet  
308 atque ut transcurta geminas distermine Arctos  
309 linea ducta nota cristis radiantibus, altum  
310 quas inter caput attollit Junonius Anguis.  
311 Quae lunam solemque suum mutare colorem  
312 causa laborantes adigat clarumque reducta  
313 nondum nocte diem quid tristibus implicet umbris,  
314 non ignarus erat. Gelido sub Orionis ortu  
315 cur tot praecipitent abruptis nubibus imbres,  
316 norat, et immenso sitiens cur Sirius aestu  
317 ardeat, ut bis sex caelestia signa vicissim  
318 orta cadant magnusque suum se volvat in orbem  
319 annus et una dies semper redeuntibus in se  
320 mensibus inserta accrescat, quo debita mundo  
321 tempora subsistant studio correcta parentum.  
322 Talem igitur pacis Rugerum finxerat Atlas  
323 artibus et, quoniam fatorum haud nescius illum  
324 noverat exitio Lybicis fore gentibus et, quas  
325 prisca superstitio posuit mortalibus, aras  
326 eversurum olim, summis in rupibus arcem  
327 struxit, ubi exigeret segura per otia vitam,  
328 quo saltem miseris aliquam, si forte liceret,  
329 adderet ipse moram tali conamine rebus.  
330 Servabatque locum imposito custode, neque ulli  
331 externo patuere aditus, accedere ne quis  
332 et magni imperio parentem Atlantis alumnum  
333 mutare aut suadere abitum atque abducere posset.  
334 Verum, ubi consilio fatorum infringere legem  
335 non datur et magicae nequicquam innititur arti  
336 nec retinere valet precibus discedere certum  
337 et majora sequi pulchra pro laude parantem,  
338 Tristior atque pio pueri commotus amore,  
339 quo virtus et fata vocant, permittit abire.  
340 Jamque recessurum lacrimans his dicitur heros  
341 Rugerum affatus verbis monitusque dedisse :  
342 "Vade tui memor Atlantis, te numina postquam  
343 eripiunt mihi, care puer ! Mea dicta sub alto  
344 pectore fixa tibi maneant tecumque revolve

345 plurima, quae docuit patriis affectibus Atlas !  
346 Nostra sed in primis superos cognoscere facta  
347 sit tibi certa fides atque intima cernere corda,  
348 et subrepta putes vitae, quae somnus et oci  
349 languor iners turpisque absumunt tempora luxus.  
350 Arbitrio plerumque suo mortalia coepta  
351 omnipotens Fortuna regit finitque, sed ante  
352 elegisse viam ad rectum rebusque futuris  
353 consuluisse, quoad licuit, quicumque sequetur  
354 exitus, egregia res est dignissima laude.  
355 Tu superare tamen durissima quaeque ferendo  
356 aude animo ingenti teque ipsum vincere certa !  
357 Tum cave, te rebus tumidum Fortuna secundis  
358 reddat et implacido perterreat aspera vultu !  
359 Non odium, non ira dolorve aut gaudia, non spes  
360 aut metus infringant mentem, non torqueat auri  
361 plus aequo te dira fames, non prava libido  
362 praecipitem rapiat nec sordibus inquinat atris.  
363 Aspera virtutis via segnibus ; haec eadem se  
364 fortibus ostendit facilem superisque reponit  
365 sedibus illustres animas. Sic maximus ille  
366 Amphitryoniades meruit considerare Olympo,  
367 quem meus Antaeo congressum dicitur Atlas  
368 spectasse atque illi magno applausisse favore,  
369 cum misceret adhuc dubio certamine pugnam,  
370 et juvenem laribus victorem accepit amicis.  
371 Sic quoque rex Macedum, genitrix tua cujus ab alto  
372 sanguine deduxit genus, et fortissimus Hector  
373 et pius Aeneas et bello clarus Achilles,  
374 cognati, Rugere, tui, crevere suumque  
375 laudibus aeternis nomen sparsere per orbem,  
376 innumerique duces, quorum edere nomina longum est,  
377 hanc tenere viam et summo celebrantur honore.  
378 Ominibus vero infaustis crudelia quamquam  
379 te duce fata parant nostras evertere leges,  
380 non tamen ista tibi infensum me injuria reddit,  
381 parva licet non sit ; tantum in me vincula possunt  
382 sanguinis et jura hospitii carique labores,  
383 quos ego te propter bis denos sedulus annos  
384 suscepi et numquam me suscepisse pigebit.  
385 Adde, quod ingenui mores et amabile cunctis  
386 partibus ingenium rabidos mollire leones  
387 possint, teque ut ament, Marpesia cogere saxa.  
388 Tristibus illa quidem restant solatia fatis,  
389 cum videam neque enim me saltem. Haec omina fallunt,  
390 quantum et quale decus promittant sidera votis  
391 officiosa tuis. Jam nunc immania cerno  
392 bella gerenda tibi atque alios emergere ritus,  
393 Hammonemque meum desertis protinus aris  
394 ire procul video pollutaque linqere regna.  
395 Cum virtute duce in summum te culmen honoris  
396 fortuna extulerit, patrio complectere amore  
397 se tibi tradentes populos ac mitis eosdem  
398 justitia comitante regas ! Firmissima regni  
399 praesidia hinc adsunt, hos instrumenta futuros  
400 bellica thesaurosque tuos arcesque putabis.



401 Ast ubi avaritiae impulsu videre tyrannos  
402 raptores, non aequa sequi, sine more feruntur,  
403 quo studiosa vocat novitas, veteremque perosi  
404 fortunam mutant animos gaudentque tumultu  
405 securi regum et pariter sua commoda curant.  
406 Gallia certa tibi sedes. Hic ossa parentis  
407 Rugeri, hinc etiam veniet tibi regia conjux ;  
408 nec minus haec eadem junctos tibi sanguine reges  
409 et dedit et post haec tellus dabit ; hinc ego prolem  
410 surgere magnanimam atque Italas regnare per urbes  
411 aspicio, cujus proavos atavosque relinquo.  
412 Nicoleon jam nunc sortes, Garamantidos arae  
413 et pecudum fibrae manesque aviumque volatus  
414 astraque portendunt oculis praesentia nostris.  
415 Urbs Phaethontei clarissima surget ad oras  
416 Eridani, quae nunc nulla est, ubi pascua late  
417 ac nemora et vepres nullisque coercitus amnis  
418 aggeribus campos stagnantibus obruit undis.  
419 Illa patrem patriae tantum benefacta valebunt !  
420 Nicoleon merita decorabit imagine, quae tunc  
421 ante Palatinos spectabitur aurea postes  
422 aurato sublimis equo populisque colenda.  
423 Postque patrem, imperium Leonellus et altera proles  
424 Borsius accipient, Latiae duo lumina terrae.  
425 Nec mora, succedet, magno qui nomine dignus  
426 Herculis Herculeos animos imitetur et acta.  
427 Hoc renovata duce et spatiis ingentibus aucta  
428 divorum atque hominum stabit Ferraria sedes.  
429 Tunc molem ipsa suam mirabitur et vaga late  
430 hujus fama viri terras, Mare, sidera adibit.  
431 Illius auspiciis pacatae asperrima gentes  
432 deponent studia armorum, bellique nefandus  
433 terga dabit Furor atque Italo pelletur ab orbe.  
434 Huic patria ingentem viventi grata columnam  
435 eriget, ac rerum varias industria felix  
436 nobilium artificum deducet marmore formas  
437 spirantesque hominum vultus atque aemula vivis  
438 corpora corporibus finget positisque trophaeis  
439 inclyta magnanimi caelabit principis acta.  
440 Jam super haec video statuam se tollere equestrem  
441 clara Corinthiaci superantem signa metalli  
442 et longa Herculeas testantem in saecula laudes.  
443 Quare, age, care puer, tantarum gloria rerum  
444 mox oritura tuis ex ossibus incitet altae  
445 ad virtutis opus parituram ingentia mentem  
446 praemia post cineres etiam mansura nepotum ! "  
447 Haec ait, utque graves possit tolerare labores,  
448 edocet auratisque pedes calcaribus ornat.  
449 Includit suras ocreis atque aurea firmo  
450 subligat hinc atque hinc femorum tutamina nodo.  
451 Mox gravis hamorum nexu lorica trilici,  
452 aureus extremas ambit cui circulus oras,  
453 traditur, egregium Getuli munus Iarbae.  
454 Hanc super ipse manu solido thoraca metallo  
455 perfectum atque ullis opus haud violabile telis  
456 aptat et inscriptum signis Phoenicibus ense,

457 quem sibi conflatum ad lunam sub sidere Martis  
458 cantata senior candentem exstinxerat unda,  
459 dat juveni, cui non chalybum vis ulla resistat.  
460 Mox humeros geminosque simul tegit aere lacertos.  
461 Arma parat manuum galeamque Pyracmonis olim  
462 arte laboratam atque argento auroque nitentem,  
463 Puniceis alte surgentem in cornua cristis,  
464 Maurusi spoliū Bocchi, largitur et hastae  
465 immensum robur, patruī gestamen Atlantis,  
466 cuspede fatali horrendum penetralibus effert.  
467 Dat chlamydem, Phrygii quam non ignara laboris  
468 Ibia pinxit acu rara celeberrima forma,  
469 orta Tyro, clarum ducens ab Agenore nomen  
470 per seriem antiqui generis, doctissima vocem  
471 concordare lyrae, teneros componere versus,  
472 mollibus apta pedem choreis, gratissima Phoebō.  
473 Nec minus ingentis clypei pater optimus orbem  
474 imperat afferri ; caelata refulget in auro  
475 Arcadis effigies, cognati sanguinis index,  
476 somniferamque gerit virgam piceumque galerum ;  
477 haud procul hinc pulchra pugnans pro virgine pulcher  
478 Acrisioniades talaria gestat et harpen  
479 concedente deo squamosaque colla ferocis  
480 falcato secat ense ferae vinclisque puellam  
481 liberat et victor secum fert praemia pugnae.  
482 His igitur senior juvenem felicibus armis  
483 instruxit, quibus ipse securigerumque Macheten  
484 saxaque multiplici torquentem immania funda  
485 Ischyron et clava pugnāntem Acheronta peremit,  
486 quos tunc paene puer Sicula de gente Cyclopum,  
487 aequore transmissō qui caedibus atque rapinis  
488 cuncta infestabant, Barcaeis victor in oris  
489 straverat et magno populos terrore levarat.  
490 His Diomedei gregis ortum semine donis  
491 addit equum primo carpentem gramina lustro,  
492 ornatum phaleris atque aurea frena superbo  
493 mandentem morsu, qui par tibi, Cyllare, forma  
494 aequabat candore nives et cursibus Euros.  
495 Victor enim Alcides immani rege perempto,  
496 postquam dira feros armenta relinquere mores  
497 compulit ac fontes potare et gramina pasci  
498 edocuit, tot dura truci mandante tyranno,  
499 formae insignis equam numero delegerat omni,  
500 Threiciū quae passa marem, vicinaque partu  
501 traditur Atlanti dono ; dehinc sanguinis hujus  
502 progeniem fama est ipsos aluisse nepotes  
503 ac lunae signasse nota, qua maximus Atlas  
504 usus erat quondam astrorum caelique peritus.  
505 Ipse quoque, hostili quo se tueatur ab ictu,  
506 armatur bellator equus cornuque minaci  
507 formidanda gerit celsa velamina fronte.  
508 Jamque resurgebat terrasque reliquerat imas  
509 Antipodum rubicunda dies ; longaevus alumnum  
510 armarat lacrimans iterumque iterumque monebat  
511 complexusque pios non siccis pauca loquenti  
512 luminibus dabat et grates ob munera agentī.

513 Tum fore se meriti memorem, dum vita maneret,  
 514 spondentem emittit porta et comitatur euntem.  
 515 Ille solum linguens natale atque Africa regna  
 516 cognatos inter proceres, quos fortis alebat  
 517 Gallia, subversis Maomethi turpibus aris  
 518 floruit ac sponsae regalis honore superbus  
 519 protulit illustri claros de stirpe nepotes,  
 520 unde ortum perhibent nostros deducere reges.  
 521 Tertius imperium Carli post funera patris  
 522 Carolus obtinuit, Grossus cognomine dictus ;  
 523 artibus hic pacis bellique instructus ad oras  
 524 venerat Italiae Romam accessurus, ut illic  
 525 acciperet regni solito de more coronam.  
 526 Magnanimos inter proceres loca prima tenebat  
 527 illi ex fratre satus regali sanguine cretus  
 528 Actius, ingenio praestans et maximus armis.  
 529 Dumque moram traheret Patavina Grossus in urbe,  
 530 fertur Atestinam sub amoenis collibus arcem  
 531 multa inter juveni egregio praeclara dedisse.  
 532 Hinc perhibent genti cunctis memorabile terris  
 533 nomen Atestinae impositum, quam nominis hujus  
 534 mutata parte Estensem dixere minores.  
 535 Tres igitur gentes olim ceu foedere quodam  
 536 inductae ex Asia, Europa Libyaeque creandis  
 537 principibus coiere meis summoque deorum  
 538 consilio Estensis late stirps condita regnat.  
 539 Forsitan et quaeras, magni Jovis unde ministram  
 540 gens ea portet avem, quae rostro armatur et uncis  
 541 unguibus atque alas ingentes candida pandit.  
 542 Hanc Phryges illato superis Ganymede ferebant ;  
 543 haec quoque magnanimis gestanda nepotibus ipsi  
 544 signa reliquerunt Troes, quibus aurea miscent  
 545 lilia, cognatae monumentum nobile gentis.  
 546 Nec non Sismundi nova munera Caesaris addunt,  
 547 nigrantes aquilas. Fulvum namque ante leonem  
 548 maximus Aglantes dederat, Phoenicia dextro  
 549 qui pede verba notis gestat signata Latinis,  
 550 quae contra impavido suadent procedere passu".

## LIBER SEPTIMUS

B\_7 v.1 "Postquam jacta vides solido de marmore tantae  
 2 fundamenta domus, alias nunc dicere partes  
 3 aggrediar coepto incumbens, Pariisque columnis  
 4 impositum mihi surget opus, pulcherrima donec  
 5 sublimi ad caelum se machina vertice tollat.  
 6 Optimus Euganeis quondam accersitus ab oris  
 7 praefuit huic populo Estensi de sanguine primus  
 8 Albertus, magnis meritis carissimus urbi.  
 9 Fretus amicorum auxiliis summoque favore

10 Ramberti, nostris quo non mage civibus alter  
11 gratus erat, sese huc tulit Actius atque potitus  
12 imperio fines regni feliciter auxit.  
13 Nominis ejusdem juvenis laudisque paternae  
14 aemulus ingenti studio plebisque patrumque  
15 praeficitur summae rerum. Pulcherrimus illi  
16 Oppicius succedit, adhuc puer. Actius inde  
17 tertius. Hunc sequitur praestans belloque togaque  
18 Freschius, externis armis et fraude suorum  
19 expulsus patria et solio spoliatus avito.  
20 At gemini fratres Aldobrandinus et acer  
21 Franchus quam primum sublato hoc principe regnant  
22 concordēs simul atque animis et foedere juncti.  
23 Franchus ab aucupio rediens in limine portae  
24 conjuratorum telis oppressus acerbo  
25 funere procubuit ; rerum omnis cura relicta est  
26 Aldobrandino, qui fratrem haud segniter ultus  
27 quattuor his post haec annos dominatur in oris.  
28 At tu cum fratre Oppicio, Renalde, parenti  
29 succedis. Nec longa mora est, regalibus alter  
30 Aldobrandinus sceptris praefectus. At illum,  
31 cui celebre agnomen Claudī prisca indidit aetas,  
32 Nicoleos sequitur, veterem qui condidit arcem  
33 Thomasi graviter casu commotus acerbo.  
34 Ecce tot illustres atavos clarissimus inter  
35 eminent Albertus, quo non felicior alter  
36 stirpe sua aut tanto dignatus honore nepotum.  
37 Nascitur hinc alter natorum germine felix  
38 Nicoleos, post quem imperio, Leonelle, potiris.  
39 Horum igitur nostra auspicio ductuque virorum  
40 justitiae fama simul et praestantibus armis  
41 protudit antiquos regni Ferraria fines.  
42 Quaeque mari imposuit supero vetus Adria nomen  
43 atque omnis late regio celebrisque Cymacli  
44 piscosis urbs cincta undis vicinaque ponto  
45 accessere tuis pariter, Ferraria, rebus.  
46 Pars quoque Picenae telluris parta novumque  
47 his actaea dedit cognomen regibus Ancon.  
48 At Mutina, innumeris exercita cladibus olim  
49 Romanas inter lites populoque feroci  
50 praedita, Rangono Estigenis praebente favorem  
51 principibus nostrae sociam sese addidit urbi.  
52 Nec minus auctoris Lepidi cognomine clarum  
53 gente sub Estensi Regium jam tempore longo  
54 floruit, urbs Cereri dilecta et grata Lyaeo,  
55 magnanimis habitata viris, quos eminent inter  
56 Aoniae Boiardus aquae viridantia Gipsi  
57 ad juga qui sacro traduxit pocula cantu.  
58 Quid montana tibi referam castella, quid arces  
59 in plano positas, quid Lugum atque oppida dicam  
60 Flaminiae et campos cultae regionis opimos ?  
61 Parte alia vero, Ligures quae vergit in agros  
62 Tyrrhenumque solum, auriferae se nobilis ora  
63 Carfignanae offert, nostrae pars ultima terrae.  
64 Est plaga, diverso quae limite solis ad ortum  
65 prospicit ac veluti in longum protenditur isthmon,

66 obliquo hinc atque hinc fluviorum obducta meatu ;  
67 Rodigium populis caput omnibus, altaque pulcher  
68 caeruleis Athesis per moenia leniter undis  
69 labitur, unde ortum accepit Roverella propago,  
70 tot genitura duces terris, tot numina caelo.  
71 Imperii fines locus hic regnataque nostro  
72 terminat arva duci et Patavi discernit ab urbe.  
73 Protinus ad Borsi nomen, Pontane, redire  
74 nos tempus monet. En, agedum, mihi pandite, Musae  
75 Sandalides, veluti bellorum grandibus orsis  
76 implicuit sese patriis digressus ab oris !  
77 Discordes igitur populos et in arma ruentes  
78 ductores circumspiciens, quibus Itala tellus  
79 floruit, et nota belli ratione, quod inter  
80 Insubrem Venetumque geri certamine summo  
81 audierat, nulli fama gestisve secundus  
82 Carmignola ducum numero delectus ab omni est,  
83 egregias quo sub Martis perdisceret artes.  
84 Ille armis antiqua suis in sceptrum Philippum  
85 restituit summa expulsis virtute tyrannis,  
86 cum puer exstincto quondam genitore paternas  
87 amisisset opes regnoque erraret adempto  
88 exul opemque simul sorti imploraret egenae.  
89 Atque ita pro magnis meritis cum maxima quaeque  
90 concedenda sibi jam Carmignola putaret,  
91 plurima ad arbitrium duce permittente gerebat  
92 non spernenda suum et paribus jam paene regebat  
93 imperium auspiciis, fidus gratusque Philippo.  
94 Ast alii proceres et qui loca prima tenebant,  
95 invidia simul ardentis odioque maligno  
96 impulsus, clam praetexta formidinis illum  
97 culpae inque vicem suspectum reddere regi,  
98 quodque affectaret sublato principe regnum,  
99 objicere et mores graviter damnare superbos.  
100 Summa viri virtus et magna potentia, quique  
101 imperiis animus nimios assuetus honores  
102 appeteret, facile id poterant suadere tyranno.  
103 Ergo ubi percepit mutatum fraude malorum  
104 Carmignola ducem nec se, velut ante solebat,  
105 colloquiis adhiberi ullis adituque repelli,  
106 utque sibi assuetos comitum rarescere coetus  
107 mussantemque simul turbam et transversa tuentem  
108 infensis oculis perspexit, ut omnia vidit  
109 paulatim ruere in pejus, cum principis aures  
110 improbus obstrueret conficto crimine livor,  
111 fortunam tentare novam dubiaeque saluti  
112 consulere ac Venetam statuit se vertere ad urbem.  
113 Hic postquam adventus causas animumque Philippi  
114 ingratum ostendit verbis invectus acerbis,  
115 ut studium omne suum Venetis operamque fidemque  
116 obtulit, auditus placide cupideque receptus  
117 quam primum innumeris affecit cladibus hostem.  
118 Viribus ille suis socialia junxerat arma,  
119 arma Flumentinae quae nomine rexerat urbis,  
120 Stroccius ante obitum Nannes, quem mortis honestae  
121 pugnantem ob patriam pulso tulit exitus hoste.

122 Carmignola igitur studio superante laborem  
123 Coenomanorum populos aggressus et arces  
124 acriter oppugnans, quam primum dedere qui se  
125 maluerant quam vi contra contendere et armis,  
126 nil gravius passos animo suscepit amico ;  
127 ast alios, servare fidem quos noverat hosti  
128 atque sibi omnino infestos perstare nec ullas  
129 formidare minas ac se defendere bello,  
130 diripuit domitos et partas undique praedas  
131 miles agens ferro campos vastavit et igni,  
132 totque caput populis opibusque superba virisque  
133 Brixia post varios casus erepta Philippo.  
134 Et jam mensis erat, quem candida nomine dici  
135 gaudet Maia suo ; cum portitor Europaeus  
136 concedit Geminis aurataque cornua condit,  
137 bellipotens Mavors Pallasque et regia Juno  
138 conveniunt summoque duci, dum nocte soporem  
139 carperet, ingentem Rugerae stirpis alumnum  
140 commendant et fata docent, quibus ille vocetur  
141 magnarum monitu Jovis ad fastigia rerum.  
142 Ense ferox Mavors accingitur armaque gestat  
143 Lemniaco sudata seni. Dea vertice summi  
144 nata patris, rutilam redimita virentis olivae  
145 fronde comam, peplo incedit spectabilis aureo  
146 Aegide seposita et miti placidissima vultu.  
147 Alta gradum profert Saturnia fertque coronam  
148 insignem gemmis auroque ; atque ordine pulchro  
149 colla pyropaeae circum candentia flammae  
150 et virides radiant innexo adamante smaragdi.  
151 Ipsa manu sceptrum, mira quod Mulciber arte  
152 extuderat, sublime gerit ; procul aurea fulget  
153 virga minutarum in formas caelata volucrum  
154 et parvis distincta feris ; at cuspide summa  
155 pictas ales opes atque Argi lumina pandit  
156 elato arrectas ostentans vertice cristas.  
157 At chlamys immensi contexta ab imagine caeli,  
158 Pallados egregium munus, divina decoro  
159 membra labore tegit pedibusque alludit euntis.  
160 Hic solem lunamque simul bissenaque magni  
161 signa poli varios anni referentia cursus  
162 aeraque humentem et stellarum Cecropis ignes  
163 finxerat ; una sibi partem hic non vindicat ullam  
164 Parrhasis aequoreos non ausa attingere fluctus.  
165 Talibus induti caelestes cultibus artus  
166 castra petunt subeuntque ducis tentoria divi.  
167 Nec mora, Junonis parens Tritonia nutu  
168 sic est orsa loqui : "Nos caelo misit ab alto  
169 Jupiter atque suo haec tibi, Carmignola, referri  
170 nomine verba jubet. Veniet de sanguine cretus  
171 Borsius Estensi, tua qui puerilibus annis  
172 signa sequi certus sese experiatur in armis.  
173 Huic animos viresque dabit Gradivus et idem  
174 successus votis laetos feret. Ipsaque Juno  
175 post patrios obitus, post cari funera fratris  
176 accitum fato regali in sede locabit.  
177 Me duce tranquilla populos in pace paternos

178 inde reget priscaeque addet nova nomina genti.  
179 Gaude igitur tanto dignatus pignore divum,  
180 saeva priusquam res turbet Fortuna secundas  
181 invidiam latura tibi casusque sinistros,  
182 quos tibi difficile est evadere ! " Dixit et ambae  
183 curribus astra deae repetunt ; Mars bella citato  
184 ad sua fertur equo pugnasque revisere gaudet.  
185 Protinus excutitur somno, dehinc omnia ductor  
186 mente simul volvens nocturnas visa per umbras  
187 haud spernenda putat. Tum dis parere paratus,  
188 ipse pio Borsi jam tunc incensus amore,  
189 cernere praesentem et socium sibi jungier optat.  
190 At qua se eripiat gravibus ratione periclis,  
191 incertus quod fata parent, discernere nescit.  
192 Quicquid triste tamen sors aspera, quicquid acerbum  
193 intulerit, ferre aequo animo formidinis expers  
194 non renuit vanumque putat sperare, deorum  
195 quae ratus ordo tulit, flecti in contraria posse.  
196 Auspiciis igitur Venetum se in castra secundis  
197 contulit et lectos equites peditumque maniplos  
198 Borsius expertos belli magno agmine duxit  
199 mille ac ter centum numero praestantibus omnes  
200 florentes armis diversaque tela ferentes.  
201 Hi gladios hastasque gerunt parvasque bipennes  
202 sublimes in equis, levibus thoracibus illi  
203 pectora summa tegunt et longa hastilia vibrant,  
204 nunc proferre pedem, nunc gressum sistere docti  
205 ad nutus ac signa ducum. Pars illa sinistrae  
206 insertat parmas et acuto lucida ferro  
207 missilia intorquet dextra vel comminus hostem  
208 audax ense petit. Pars scuta ingentia valli  
209 in morem protenta solo declinat et agmen  
210 densatis firmat cuneis et vulnera rectis  
211 corporibus tuta infligit sociosque tuetur.  
212 Parte alia simul incedunt, quos letifer armat  
213 Scorpius, et celeres in tristia fata sagittas  
214 contractu artificii curvatis cornibus aptant.  
215 Hic laetus vultu ac verbis testatus amorem  
216 dux Borsum accepit numeroque cohortibus aucto  
217 multa illi indulsit moresque animumque virilem  
218 mirari haud poterat satis ipse satisve probare,  
219 cum prima inciperet puero florere juventa.  
220 At nullis quamquam stimulis monitoris egeret  
221 sponte sua ad laudem properans, tamen inclyta magni  
222 ante oculos sibi facta ducis proponere suetus  
223 strenuus exercet studio se impensius omni.  
224 Atque brevi, qualisve esset quantusve futurus,  
225 omnibus indicium ratio dedit optima vitae.  
226 Non labor indomitus, non saeva pericula, non vis  
227 ulla, nec hostis atrox, nec cruda furentis imago  
228 terrebat Martis gladioque hastaque <cruentis>,  
229 seu bellator equus sublimem in proelia ferret,  
230 seu pedes adversis cuperet concurrere turmis.  
231 Quamque manu promptus, quam fortibus acer in armis,  
232 ingenio tam clarus erat. Tum plena vigoris  
233 mens experrecti nil non laudabile agebat ;

234 tum, si quid gravius belli fortuna tulisset,  
235 ipse ultro socium cunctis admittere ductor  
236 consiliis et multa simul conferre nec umquam  
237 illius frustra quicquam committere curae.  
238 His quoque dexteritas morum accedebat in omnes  
239 officiosa gradus hominum ; et contendere semper  
240 cum paribus de laude suis et honore juvabat  
241 ante duces ; ineratque fides et gratia verbis.  
242 Martius interea paulum si forte resedit  
243 impetus atque aliquam belli intermissa quietem  
244 obtulerat moles, non inter pocula Bacchi  
245 turpiter abjectum et tentoria picta foventem  
246 languida segnities ac mollis inertia pressit,  
247 sed tunc, magnanimo quodcumque superfuit oci,  
248 per decus egregium et certamina pulchra solebat  
249 inter honoratos juvenum consumere coetus.  
250 Et modo vel celerem jaculum torquere per auras  
251 et modo se cursu rapido exercere juvabat.  
252 Nunc picta chlamyde et pretioso pulcher in ostro  
253 ingenti comitante manu per castra vagatur ;  
254 nunc galea tectus caput et circumdatus armis  
255 alipedem per gramen equum non inscius artis  
256 acribus exagitans stimulis huc flectit et illuc.  
257 Interdumque manu protenditur hasta reducta  
258 longius ; interdumque eadem componitur alte  
259 ad dextrum sublata genu, cuspisque relucet  
260 ferrea sole procul radiisque micantibus icta.  
261 Haud aliter veteres Decios fortemque Camillum  
262 Scipiadasque, ferae cladem Carthaginis, et te  
263 Gallorum insignem spoliis, Marcelle, relatis  
264 intrepidumque genus, Fabios, vixisse putarem.  
265 Sic quoque ad imperium pervenit et aurea Caesar  
266 sidera conscendit, sic regis magna Philippi  
267 progenies terris domitis pelagoque subacto,  
268 par superis numen, meruit solemnia templi.  
269 Talibus assidue studiis cum deditus esset  
270 Borsius atque illum quaerendi nominis ingens  
271 sollicitaret amor laudisque cupidine captus,  
272 quicquid difficile inviderit summique laboris,  
273 strenuus ipse sibi facile ac proclive putaret,  
274 miles eum colere imprimis, dux summus amare  
275 et procerum series comitem sibi poscere, et idem  
276 carus erat sociis et formidabilis hosti.  
277 Interea sive ipse dedit pro crimine poenas,  
278 sive ita fatorum tulit immutabilis ordo,  
279 Carmignola diem miseranda sorte supremum  
280 clausit et auratas inter mandante senatu  
281 abscissa foedum in morem cervice columnas  
282 vilis truncus humo jacuit, quem clara per omnem  
283 Italiam tanto successu gloria nuper  
284 extulerat totoque sinu Fortuna fovebat.  
285 Supplicio affectum perhibent, quia creditus hosti  
286 prodere rem Venetam rursumque haerere Philippo.  
287 Infelix, sed certe omni memorabilis aevo,  
288 si modo saeva malus finxit mendacia livor !  
289 Maximus haec inter gelidis de partibus Histri



290 Pannonio pacem antiquam violante tumultus  
291 exoritur causamque novi certaminis affert.  
292 Namque per Illyricas rupes oramque Liburnam  
293 gens ea descendens excursibus omnia late  
294 vexarat subitis, Venetus qua perfluit arva  
295 oppositos Natiso longe spectantia Turcas.  
296 Hinc transgressa tuos manus haec, Aquileia, fines  
297 Hunnica depopulat spoliatis rura colonis  
298 Tarvisiumque solum ferro flammisque repente  
299 vastat et ingentes victrix agit undique praedas.  
300 Id se impune ferox ausurum credidit hostis,  
301 pars illa imperii quoniam per foedera pacis  
302 ceu neglecta diu fuerat modicoque retenta  
303 praesidio. Partem voti Fortuna secundat,  
304 ultores prohibent partem succedere divi.  
305 Permissum, ut subita foedaret cuncta rapina  
306 barbarus ; in patriam reditus sine caede negatur.  
307 At Venetos inopina patres injuria movit,  
308 ut primum fama allata est, habitusque senatus  
309 quaeritur, illatae quis cladis idoneus ultor  
310 imperium accipiet sociosque hortetur in arma.  
311 Nec mora, primorum decreto id jussus adire  
312 munus et implicitum praeda rapere agmen in hostem.  
313 Borsius atque idem, Veneta si dux erit ex re,  
314 concessum, ut turmas equitum et levia augeat arma.  
315 Et jam sublatis exercitus undique signis  
316 ad ducis edictum coiens festinat et agros  
317 Coenomanorum pacataque deserit arva.  
318 Mox fines, Verona, tuos transmittit et inde  
319 progreditur longaque Athesi post terga relicto  
320 haud procul a ripis Benaci fertur amoenis,  
321 unde ortum accipiens vitream pulcherrimus altum  
322 flumen ad Eridani deducit Mincius undam,  
323 Mincius haud fama inferior Dirceide lympa.  
324 Se quoque transversum Medoacus euntibus offert  
325 eminus a dextra, qui saxa per aspera magno  
326 cum sonitu ruit et rapidas violentus ab altis  
327 montibus actus aquas sinuoso vertice torquet,  
328 donec deposita paulatim mitior ira  
329 lene fluit campis nec pontem forte recusat  
330 atque Antenoreae prope moenia labitur urbis.  
331 Hinc Vicentinam regionem emensus ad hostes  
332 accelerat missis exploratoribus ante  
333 Borsius instructasque acies per nota viarum  
334 noctes atque dies properans compendia ducit.  
335 Nec labor aut animum aut validas infringere vires  
336 corporis invicti potis est. Tum nulla quietis,  
337 nulla cibi revocat commisso a munere cura.  
338 Nec vacat his tantum, quantum natura putabat  
339 poscere, sed genium fraudans et avarior in se,  
340 quam decet et ratio vivendi postulat, omnem  
341 mortalem ipse gradu exsuperans, quodcumque necesse est  
342 vertit in arbitrium et summa domat omnia laude.  
343 Nec non magnanimis ad iter se vocibus ipsi  
344 hortantur comites ac se non segniter urgent  
345 sponte sua exemplumque ducis mox quisque secuti.

346 Sol quater ortus erat, toties nox humida terras  
347 induerat tenebris, ex quo dux agmine raptō  
348 coeptum iter accelerans famam praevenerat omnem  
349 ipse sui adventus. Sparsos Udinensibus arvis  
350 securosque ducis Veneti defertur in hostes  
351 per noctem. Horrisono exciti clangore tubarum  
352 et clamore virum passim caeduntur inermes  
353 Pannonii multa abrupto per vulnera somno.  
354 Qui procul hinc aberant, audita strage suorum  
355 arma simul rapiunt et equos calcaribus urgent  
356 quaque vocat clamor glomerati in dura feruntur  
357 proelia. Verum animo quamvis ac robore praestent  
358 atque pares numero coeant, tamen impare fato  
359 congressi tandem superantur ab hostibus et, quo  
360 constiterant, cecidere loco sua funera ferro  
361 ulti omnes neque enim sine sanguine gloria parta est.  
362 Quos non absumpsit gladius, quibus ira pepercit  
363 bellica, ferme omnes captos in vincula miles  
364 conjicit. At clarum luna spargente nitorem  
365 nonnulli elapsi de caede per avia nota  
366 diffugiunt jam spe amissa, gentesque priusquam  
367 finitimae audito cladis rumore coirent  
368 percussisque metu instarent ultricibus armis,  
369 praecipites montana petunt cursuque citato  
370 militiae famam infaustae luctumque reportant.  
371 Caesarum spoliis potitur praedaeque recepta  
372 corpora depositis armis jumentaque victor  
373 curat, et ex longo reficit defessa labore  
374 membra sopor turmis equitum in statione relictis.  
375 Jamque Aurora diem pulsa produxerat umbra ;  
376 Borsius accitis ita fatur ab aggere celso  
377 militibus : "Res magna quidem et pulcherrima vobis  
378 gesta, viri, summumque decus virtute parastis  
379 foederis ultores laesi legumque sacrarum  
380 totque simul rebus sociorum ex hoste receptis  
381 tam subito. Quis in hoc segnes certamine dextras,  
382 quisve animos vobis trepida formidine captos  
383 dixerit, ingentes campo qui spectat acervos  
384 occisorum hominum ? Quos si Fortuna sopore  
385 per noctem attonitos vobis objecit, eosdem  
386 armatos neque me fallit, qui mentibus ardor  
387 insideat vestris nusquam fiducia deerat  
388 expugnare palam et vincendo acquirere laudem.  
389 Namque ita vos bello erudiit fortissimus ille  
390 Braccius, ut numquam victos victoria semper  
391 illustres caelo extulerit, quos, ut reor, ipso  
392 Marte satos genitor comites mihi castra petenti  
393 Nicoleos dedit insignes virtute fideque.  
394 At nunc re, socii, bene gesta accedite ad aras  
395 et meritas superis pro tanto munere grates  
396 mecum agite officii memores ! Dehinc luce carentes,  
397 qui decus hoc vobiscum etiam peperere, sepulchris  
398 condere tempus erit necnon sua reddere amicis.  
399 Et nos quam primum laetos cum laude redire  
400 aequum erit ad patrias sedes, nisi forte manere  
401 aut alio nos vertere iter decreta senatus

402 interea jubeant". Quae dux ubi verba locutus,  
403 continuo gavisi omnes et grata fuisse  
404 cuncta sibi laeto vultu ostendere ; neque ipsum  
405 laudis parte tamen fraudant dictisque fatentur  
406 consilio ac ductu Borsi feliciter hostem  
407 oppressum nec, quae mandavit, obire recusant.  
408 Illum e concilio digressum exercitus omnis,  
409 haud mora, subsequitur vicini ad limina templi.  
410 Pro duce facturus, puri se fluminis unda  
411 irrigat et frontem dextra pectusque sacerdos  
412 tangit in obliquum ducta et pia verba susurrat  
413 atque unum triplici sub nomine numen adorat.  
414 Velatusque caput tunica succingitur alba  
415 pendulaque illudit commixtae fascia laevae.  
416 Tum latus e collo demissa ad utrumque refertur  
417 excurrens duplici per pectus vitta reflexu  
418 castigata manu paribus super ilia nodis.  
419 Mox rugis manicisque carens profertur amictus,  
420 quem picturato distinguens linea tractu  
421 sacrae instar crucis insignit, quo rite verendus  
422 induitur cultu pater ac se altaribus offert.  
423 Ignibus accensis dictisque favente ministro  
424 conciliat superis sese et delicta fatetur,  
425 si quid inhaesisset polluto in corpore culpae.  
426 Tum pia supplicibus peragit mysteria verbis  
427 commiscetque meri lympham et caelestibus ora  
428 exsaturat dignata cibus venerandaque sumit  
429 pocula et in terris celebrat convivia caeli.  
430 Ast ubi perfecto divini munere ritus  
431 astantem populum sacra de more sacerdos  
432 irroravit aqua et coetus discessit ab aris,  
433 conveniunt subito, qui nota cadavera passim  
434 exquirant ; maesti pariter flevere repertos  
435 munus in extremum socios tumulisque dedere.  
436 Nec minus hostilis turbae collecta per agros  
437 congersere simul defossae corpora terrae,  
438 unus et innumeros cepit locus ; arvaque tabo  
439 sordida, ne tellus saevum exhalaret odorem,  
440 ingenti studio purgant lucemque fatigant.  
441 Vix erat orta dies ; quos raptae injuria praedae  
442 traxerat, haud pauci numero se in castra tulerunt.  
443 Borsius hos placide verbis solatus amicis  
444 ponere maerorem et duri infortunia casus  
445 ex animo delere monet, cum tristibus hostem  
446 noluerint gaudere diu pia numina factis :  
447 "Vestra quidem, socii, non parvo damna senatum  
448 atque omnem pariter populum affecere dolore,  
449 et nos tantorum audita novitate malorum,  
450 si liceat, sumptis volitare per aera pennis  
451 jussere ac subito vestris succurrere rebus.  
452 Idque meo ductu atque horum virtute virorum  
453 et superis postquam pia vota juvantibus actum est,  
454 sollemnes ipsis merito persolvere honores  
455 obsequio sacrisque tholis suspendere dona  
456 vos decet. En agite, et vestrum sua protinus illic  
457 quisque recognoscat nostri modo parta labore

458 militis atque eadem studio servata fideli ! "  
459 Dixerat, et cuncti grates egere precesque  
460 non parvas adhibent, ut rerum miles et ipse  
461 Borsius haud renuant partem accepisse suarum,  
462 sed frustra ; atque animis sprevere ingentibus omnes,  
463 quae socii sponte obtulerant, intactaque praeda  
464 redditur. At laetae gentes exutaque vinclis  
465 turba domum repetunt ac Borsi numen adorant.  
466 Haud procul hinc lucus Dryadum celeberrimus olim  
467 Faunorumque choris tunc alto in colle virebat.  
468 Vertice de summo leviter per saxea rivus  
469 terga cadens tenui fugiebat in arva susurro,  
470 donec perspicuum in fontem se cogeret unda.  
471 Frondiferae partem sylvae, quae solis ad ortum  
472 vergit, Atestinae simul invasere cohortes.  
473 Tum forte arboribus caesis ignique crematis  
474 mundavere soli frontem, positoque trophaeo  
475 aeternum hic pugnae monumentum insigne sacellum  
476 dux pius extruxit Mariaeque dicavit honori  
477 atque hoc caelatum signavit carmine marmor :  
478 "Pannoniis victor caesis hanc Borsius aram".  
479 Et jam nona dies aderat, munitaque firmis  
480 undique praesidiis regio, ne transitus hosti  
481 rursus in Italiam pateat, sacrisque peractis  
482 castra movet populisque redit plaudentibus, unde  
483 nuper erat digressus eum revocante senatu.  
484 Foederibus ruptis jam quaerere bella Philippum  
485 fama erat ; in Venetos odium accendebat adempta  
486 Brixia Bergameaeque urbis jactura, simulque  
487 tot praeclarae arces amissae ac fertilis ora,  
488 quam secat aequoreae Minci pater aemulus undae,  
489 piscibus et ripa insignis Benacus amoena,  
490 torquebant animum regis tot vulnera passum.  
491 Non tamen elatae vigor ac fiducia mentis  
492 conciderant penitus, mediisque in cladibus ultro  
493 crescebat virtus magis ac spem semper alebat.  
494 Ac velut extinctis venantum fraude leaena  
495 pignoribus caris, dum praedam quaeritat absens,  
496 ut primum redit et largo vacua antra cruore  
497 sparsa videt, fremit horrendum et Getula per arva  
498 formidanda ruens ulcisci funera quaerit,  
499 haud secus anguigerum non parva injuria regem  
500 urbibus amissis in amaram concitat iram  
501 nec reliquum dubitat fortunae exponere regnum,  
502 tristem ignominiam cupiens abolere novoque  
503 prisca resarciri sperans dispendia bello.  
504 Principis haec propter Gonzagae ad moenia binos  
505 mitti oratores placuit, qui multa senatus  
506 nomine polliciti magnis honoribus instent  
507 inducantque virum, quando Anguiger arma minetur,  
508 suscipiat belli curam et legionibus unus  
509 imperet. Haec postquam inter se pars utraque summo  
510 composuit studio princepsque in castra profectus,  
511 multa et magna gerit, Venetis conducere rebus  
512 quae putat. Externo quam primum exercitus ingens  
513 milite conficitur, sociorum maxima cogit

514 auxilia, et frugum variarum summa paratur  
515 copia, visque ingens pecoris servatur ad usum  
516 militis. Arma et equos conquirat, secta reposcit  
517 pabula per populos, victu quodcumque necesse est  
518 praeparat. Antiqui jam pridem turbine belli  
519 diruta restituit purgatis moenia fossis.  
520 Tum, quae fida minus Veneto putat, oppida firmis  
521 praesidiis cohibet, ne quicquam hostiliter ausint.  
522 Atque homines blande appellans fera pectora mollit  
523 conciliatque sibi officiis placideque regendo.  
524 Militiae ratio in castris moresque severi  
525 haud quemquam torpere sinunt inhibentque rapinas  
526 parendique augent studium ; nec relinquere castra  
527 permissum ducis injussu juvenumve magistris  
528 invitis, poenisque nefas punitur acerbis.  
529 Nec non tironum veteranis agmina miscet  
530 militibus solitum in morem erudienda suosque  
531 mirandae exemplo accensos virtutis ad altum  
532 perducit decus atque ipsum se vincere certat.  
533 At Venetus tali fretus duce singula regis  
534 Anguigeri per facta animum deducit et omnes  
535 conatus caute circumspicit obvia magno  
536 contra illaturus, si res petat, arma paratu.  
537 Anxius haud aliter vicinis pastor in arvis,  
538 ingentem si forte lupum de vertice montis  
539 prospexit, pecori timet intentisque vagantem  
540 praedatorem oculis solers observat et arcum  
541 saevaue tela parat sociis canibusque vocatis,  
542 improvisum aliqua ne Martius occupet hostis  
543 invadatque gregem et praeda potiatur opima.  
544 Dux ubi perspexit coram mirabile Borsi  
545 ingenium, cujus famam perceperat absens,  
546 et, jam conflati gereret quae tempora belli,  
547 ut versare animo secumque expendere coepit,  
548 non solum patrio juvenem complexus amore est,  
549 verum etiam coluit ceu numen ab aethere missum,  
550 quo sine nulla umquam felix praeclaraque tanti  
551 pugna sub auspicio ducis edita. Nec minus illi  
552 successor, Gonzaga, tuus tribuebat honoris,  
553 Catta ferox, merito statua decoratus equestri.  
554 Interea Alphonsus Picenis acer in oris  
555 Sforziadem ingentis belli terrore premebat,  
556 nondum odii veteres causas oblitus, ab alta  
557 Parthenope expulsus quondam et spoliatus amore  
558 Reginae varia se mobilitate gerentis.  
559 Borsius auxilium jussu genitoris amico  
560 laturus contra regem stipendia namque  
561 cum Veneto pacta explerat, rapit agmina secum  
562 ac se Sforziadae jungit, qui viribus auctis  
563 Alphonso metuendus erat : pax deinde secuta.  
564 Jamque instabat hyems. Mutinam Rugerius heros  
565 pergat ; in hibernis miles per rura locatur".

## LIBER OCTAVUS

B\_8 v.1 "Maximus at lecto ne caelibe duceret aevum  
 2 Nicoleos, procerum dictis pars instat amicis.  
 3 Hos inter fama illustres studioque fideque  
 4 insignes contra Estensem, Contraria proles,  
 5 Ugucio, nec non Jacobus, origine cretus  
 6 Geliola, simul id regi suadere volentes  
 7 saepe adeo multa in medium proferre solebant.  
 8 Pars vero contra obsistit diversaque sentit  
 9 multiplicemque patri coetum jam stirpis adultae  
 10 objicit ac summis natos ad sidera tollit  
 11 laudibus imperii magnis successibus aptos.  
 12 Dum tales igitur monitus sub pectore volvit  
 13 atque super vario populi sermone superque  
 14 connubiis secum princeps dum plurima versat,  
 15 sepositis paulum curis atque ocia quaerens  
 16 forte maris tractus vastos hominesque ferasque  
 17 terrarumque plagas caelo spectabat ab alto  
 18 Jupiter atque oculos nostrae defixerat urbi.  
 19 Sollicitum his curis tectorum in parte remota  
 20 Nicoleon sedisse videt superosque precari,  
 21 ut certis animum auguriis firmentque regantque.  
 22 Continuo Maia genitum vocat atque ita fatur :  
 23 "Te meminisse reor, nostri fidissime cordis  
 24 interpretes, quicquid pro cara gessimus olim  
 25 Ferraria, cum te Paphiam descendere ad urbem  
 26 jussimus et duros miserati Estensis amores  
 27 multa recusantem Stellam concessimus illi.  
 28 Nec te fallit, uti redituri ad sidera Borsum  
 29 germani post fata Velii succedere regno.  
 30 Cum vero exutus mortali corpore terras  
 31 linquet et astra petet, tali Ferraria rege  
 32 amisso ne se orbatam penitusque relictam  
 33 invisamque deis putet, exoriatur in illa  
 34 aemulus Alcidae nostro puer. Ille paternis  
 35 succedens opibus sceptrum regale tenebit  
 36 nec privata geret, sed magni nomine digna  
 37 Herculis, Alphonsi regis nutritus in aula.  
 38 Illic venturae indicium memorabile laudis  
 39 ausus paene puer saevo certare duello  
 40 quam primum dabit. En video sine lege pudoris  
 41 te violaturum, Pandoni, foedera. Cur non  
 42 proposito dictisque manes ? Obtecta sub illo  
 43 quid sibi vult lorica sago ? Vetita arma quid affers  
 44 in pugnam ? Haec solos gladios certamina poscunt,  
 45 atque datam servare fidem dis testibus ipse  
 46 debueras. Quodsi paribus contenditur armis,  
 47 quantum vana ferat fraudis fiducia, disces.  
 48 Non pudet hic versare dolos ? Tua tristia certe  
 49 facta deos hominesque movent nec victor abibis.  
 50 Illius ingentes pugnas hostemque fugatum  
 51 praecipiti Sarnus Calabrum petere avia cursu

52 altaque Parthenopes properare ad moenia cernet.  
 53 Quae Molinellaei famam certaminis aetas  
 54 deleat ? Et quo rem Venetum paene ipse cadentem  
 55 sustentabit eques animo et felicibus armis,  
 56 haud dubitans Veneta vitam pro gente pacisci ?  
 57 Quae vero egregie sceptris mox ipse potitus  
 58 vel bello vel Pace geret crescentibus annis,  
 59 terrarum spargent monumenta aeterna per orbem.  
 60 Dejectas graviter fraterno funere gentes  
 61 spe magna bonus attollet placideque regendo  
 62 aversas hominum, si quis fortasse repugnet,  
 63 alliciet mentes ad se laudique favebit.  
 64 Illum etiam generum Ausoniae rex maximus orae  
 65 optabit natamque dabit, quae sive pudorem  
 66 virgineum spectes, rarae seu munera formae,  
 67 sive animi libeat praeclaras quaerere dotes,  
 68 seu regale supercilium, seu gentis honores  
 69 antiquae et, quicquid fuerat mortalibus ullis  
 70 optandum, tibi proponas haec omnia certe,  
 71 ut tanto sit digna viro, indulgebimus illi,  
 72 et Lianoreis ponentur manibus arae.  
 73 Hinc etiam venient tot magnae in foedera gentes  
 74 sanguinis ac praeter Gallorum ingentia regum  
 75 nomina, cognato puerum qui sanguine tangent,  
 76 regius Hispana de stirpe et ab orbe Britanno  
 77 splendor inardescet ; gelidam regnator ad Arcton  
 78 maximus ille aderit Caesar, quem maxima regem  
 79 Roma colit, summi imperii moderator habenae.  
 80 Adde his Sforziaden, Latii caput orbis, et ex quo  
 81 spes omnes hominum late pendere videbis,  
 82 Sforziaden Maurum, qui pacem gentibus unus  
 83 et dare et eripere atque hominum contundere fastus  
 84 sic mihi, sic placitum volventibus omnia Parcis  
 85 et virtute duce et fato comitante valebit.  
 86 Felix, perfidia infanda nisi proditor aurum  
 87 praetulerit domino atque arcem patefecerit hosti !  
 88 Huic veneranda pio morum candore Beatrix  
 89 nubet, inauratis non commensura Dianae  
 90 crinibus, et cui nostra suis mirabitur uxor  
 91 esse manus manibus similes, ardentia cujus  
 92 lumina luminibus Veneris certantia jures.  
 93 At tibi laetus Hymen taedas, Isabella, jugales  
 94 praeferet, et Juno in thalamum te pronuba ducet  
 95 belligeroque duci junget, cui Maeonis ora  
 96 parebit clarumque dabit cui Mantua nomen,  
 97 quem Venetus magno Italiam turbante tumultu  
 98 praeficiet bellis, quae maxima surgere cerno  
 99 externas inter gentes populosque Latinos.  
 100 Hac ego, nate, super nihil est quod virgine dicam ;  
 101 clara satis, quoniam propria virtute futura est.  
 102 Si tamen huic nobis quicquam libet addere laudi,  
 103 forte sub Idaeo non ultima iudice quondam  
 104 certantes inter divas Isabella fuisset.  
 105 Bis geminos fratres Ferraria laeta videbit  
 106 semine ab Herculeo. Materni, Alphonse, tenebis  
 107 nomen avi ex illis primus magnoque parenti

108 succedes placida populos ditione gubernans.  
109 At Ferdinandus Gallos mira indole reges  
110 attonitos reddet, cum primis acer in annis  
111 arma exercebit jam formidabilis hosti.  
112 Nec mora, post illum, sacro qui fulgeat ostro,  
113 nascetur toto Hippolytus venerabilis orbi.  
114 Nec Sigismundum non admirabitur aetas  
115 postera, cum dignos generoso principe mores  
116 et faciem aspiciet, qualem pulcherrimus olim,  
117 dum puer incoleret Delon, praestabat Apollo.  
118 Tu quoque Bentivolo Annibali jam debita conjux  
119 ingentem huic olim generi, Lucretia, famam  
120 virginea probitate dabis. Dehinc sanguine clarus  
121 Estensi meritisque suis orietur Iulus.  
122 Testis erit frater Tiberini fluminis Arnus,  
123 qua Florentinum eripiet virtute periclis.  
124 Natorum hac felix turba pater, horrida saevam  
125 cum secum intulerint Calabri ducis arma procellam  
126 Herculeasque canet servata Etruria laudes.  
127 Seditioe ducum turbatis undique rebus  
128 cum furere Insubres inter se ac bella movere  
129 alter in exitium alterius caedesque vicissim  
130 moliri incipient stimulante cupidine regni,  
131 quae reget imperium sublato fraude suorum  
132 conjuge, consiliis quo fidi utantur amici,  
133 hunc Bona quam primum tanto in discrimine ad urbem  
134 accerset neque reginam haec fiducia fallat.  
135 Namque insurgentes per regnum hoc vindice motus  
136 comprimet ac posita formidine cuncta quiescent,  
137 si non destiterit dare sana monentibus aures.  
138 Tempus erit, cum non parvo insurgente tumultu  
139 et patriam audaci puero turbante quietem  
140 illi adero tristesque minas in gaudia vertam.  
141 Herculeane manu castra expugnanda relinquam  
142 Marzani ducis ac celebris fera proelia Punctae ?  
143 Hostis enim, Eridani qua prominet alvus in undas,  
144 tunc vallo fossaque locum munire parabit.  
145 Pro patria vero, pro libertate suorum  
146 ille minas contra ingentes hostisque locique  
147 acer in arma ruit, prostrataque caede cruenta  
148 in mare sanguineis undis Padus agmina volvet.  
149 Teque tuo captum, Antoni, cum milite victor  
150 abducet totaque hostem regione fugabit.  
151 Nec minus huic laudis summa virtute recepta  
152 quam primum Stellata dabit, portisque potita  
153 et victrix jam paene phalanx cum irruperit arcem.  
154 Magnanimi adventu Estensis conversa repente  
155 mutatis retro caedet fors rebus, et inter  
156 limine portarum et ripa caedentur in alta  
157 undique circumventi hostes, truncataque ferro  
158 pars cadet et rapido occumbet pars flumine mersa,  
159 pontis et immensi ferro compage refracta  
160 atque igni propere exusta navesque virique  
161 victoris venient sub jura, et belliger ille  
162 Imola captivus laetam ducetur ad urbem.  
163 Plurima ob invidiam passum praesentia nostra



164 eriget in melius juvenem ; discordia pulso  
165 victa dabit livore manus, infensa resident  
166 corda patrum positis odiis ipsumque fovebunt,  
167 infractisque malis animo fata aspera vincet.  
168 Qua novus hic demum Alcides ratione, quibusve  
169 quotve modis, qualive insigniet ordine, quantove  
170 augebit sumptu et quanta vi muniet urbem ?  
171 Tantum complectens jaciet sua moenia campi,  
172 ut novus antiquum prolata mole laborem  
173 ambitus exsuperet, turritosque undique muros  
174 cinget inexhausto latissima gurgite fossa.  
175 Prisca quoque ingenti studio juvenescere passim  
176 et nova tam subito poni mirabere templa.  
177 Nec minus insignes matrumque virumque verenda  
178 religione choros, pia qui penetralia curent,  
179 deliget ornatusque sacros impertiet aris,  
180 quales nulla prius viderunt saecula, sive  
181 tot varios cultus, seu ditia munera quaeres.  
182 Innumerosque domos populosae suggeret urbi,  
183 porticibus fora marmoreis ac fonte perenni,  
184 rem populo gratam nec commoditate carentem,  
185 exornabit, eruntque super vestigia primi  
186 nulla situs. Spatio meliore palatia surgent  
187 regia. Quid pulchras aedes Belfloris amoeni  
188 commemorem hostilis passas incendia dextrae ?  
189 Quas opere egregio et magnis ad sidera cunctas  
190 restituet subito impensis, primumque nitorem  
191 structurae insignis ratio picturaque vincet.  
192 Nec virides gratis deerunt secessibus horti,  
193 Phaeacum vario sylvas qui germine vincent.  
194 Quis Belriguardi eximium et memorabile, quod nunc  
195 Nicoleos molitur, opus jam nescit ? At illud  
196 arte nova usque adeo augebit labor Herculis, ut quae  
197 miratur praesens aetas, eadem illa nepotes  
198 parva putent, oculis ubi se nova forma locorum  
199 offeret atque urbi similis se machina tollet,  
200 tantum amplexa soli pinnatoque ardua muro.  
201 Imperfectae arcis, veterem quam nomine dicunt,  
202 difficile in primis coeptum magnique laboris,  
203 nunc etiam pendet vasta interruptaque moles.  
204 Ille manum huic operi imponet, cum regna tenebit ;  
205 actutum absolvet, neque enim satis esse putabit  
206 res magnas magnos reges coepisse, nisi illas  
207 et cito perficiant semperque ingentia curent.  
208 Nec non castelli dejectas fulmine turres  
209 Eridani juxta ripam instaurabit et addet  
210 plurima digna loco ; magnis disjecta ruinis  
211 saxa ubi praeteriens populus modo viderat, illic  
212 murorum ad caelum fastigia tanta repente  
213 attonito similis consurgere cernet et illa  
214 tam subito manibus hominum perfecta negabit.  
215 Guttore septeno minitans Lernaia quondam  
216 vix tantum Herculeo decus attulit hydra labori  
217 debellata manu toties, quantum afferet illi  
218 nominis ad cultum nulla non arte redacta  
219 tot stagnis regio informis cannaque palustri

220 foeda prius, mox planities pulcherrima visu,  
221 frugibus immensis fecunda et commoda Bacchi  
222 muneribus, grato aucupio et venatibus apta.  
223 Hujus nulla fidem poterit divertere ab aequo  
224 gratia, non terror, non spes. Hoc sentiet omnis  
225 Italia atque Italis qui longe a finibus absunt.  
226 Hoc sibi comperto Lodovicus Sfortia, rerum  
227 magnarum eventu poscente ubi liquerit urbem,  
228 huic dabit imperii curam suaque omnia credet  
229 praesidia et decus et cara cum conjuge natos.  
230 Maximus huic etiam patrias rediturus ad oras  
231 Carolus et Ligurum portus committet et arces  
232 Anguigeri ducis adsensu, pignusque sequestrum  
233 communis sine labe diu servabit amicus.  
234 Multa quoque haud ulli inferior vel fortibus armis  
235 vel pietate geret, quae singula dicere longum est.  
236 Quare, age, ne tantum amittat Ferraria laudis,  
237 neu propriae genitor stirpi invidisse putetur,  
238 auspiciis superis vinclo se offerre jugali  
239 Nicoleos dictisque adhibere fidelibus aures  
240 ne dubitet, prolemque ferat de conjuge, quae jam  
241 parta illi Italiae extremis in finibus orta,  
242 nunc tu illum super his dubio permulta moventem  
243 secum animo invenies secreta in sede palati et,  
244 quid jubeam, quid agat, quae sint ventura, docebis".  
245 Dixerat. Extemplo dilapsus ab aethere pennis  
246 accelerat Tegaeus iter, quo tendere jussus.  
247 Jamque mare et terras transcenderat et nova cernit  
248 moenia, quae magnus lato Padus alluit amne.  
249 Haec adit atque refert summi mandata parentis.  
250 Tum levis ad caelum medio in sermone refugit.  
251 Nicoleos visa stupefactus imagine tanti  
252 numinis atque animo expendens, quae plurima coram  
253 audierat, laetus paret populique vocatos  
254 primores Jovis ipse docet sententia quae sit,  
255 omnia commemorans, et mentem aptat hymenaeis.  
256 Rizardam forma insignem castoque pudore  
257 Salluciaque domo genitam, quoniam omnia princeps  
258 conciliis agit, unanimes legere novisque  
259 connubiis statuere diem ; dehinc cuncta parantur.  
260 Jamque dies, taedae quam constituere jugali,  
261 instabat. Jussu patrio contermina Gallis  
262 oppida adire parat ducendae virginis ergo  
263 Borsius ad magni regalia tecta mariti.  
264 Illum delecti proceres comitantur euntem,  
265 dives equis manus atque opulento splendida cultu.  
266 Maximus hos inter cultor pietatis et aequi  
267 nec minus imperii Estensis fortissimus olim  
268 Ugucio defensor adest, Contraria proles  
269 quem magnum fama et gestis huic addidit urbi.  
270 Nec senioris abest Antoni clara propago,  
271 sese Albertus agens placido Constabilis ore,  
272 consilioque manuque bonus clarisque Minervae  
273 artibus instructus, quo tu satus, optime Paule,  
274 bis senos qui nunc inter considerare patres  
275 conspiceris judex magni censorque senatus

276 et patriae summoque duci carissimus aequē  
277 rem populi curas et publica jura tueris.  
278 Venit et armorum egregie bellique peritus  
279 et gaudens Feltrinus equis cultuque nitenti,  
280 Boiardae eximium stirpis decus, agmine pulchro  
281 natorum quondam insignis, tibi, clare, futurus  
282 mox avus, Aonidum cultor Matthaeae sororum.  
283 Hunc neque majorum nec temporis acta latebant  
284 ulla sui, gratisque inerat facundia verbis.  
285 Quin etiam comitem se Antonius addit eunti,  
286 Obicia de gente satus, non inscius idem  
287 artis Apollineae divesque et sanguine clarus.  
288 His Petrus antiqua Marocellus origine cretus  
289 accessit, luxus nimii contemptor et omnes  
290 delicias horrens animoque et corpore praestans.  
291 Tu quoque, cum generis series annosa vetusti  
292 deficeret Turcique haeres tunc sanguinis unus  
293 praestares, at nunc generosa prole beatus,  
294 Albertine, tuo pariter cum principe laetus  
295 carpis iter, non aeris egens nec prodigus ultra,  
296 quam decet, ac parto parcens morisque securi.  
297 Nec minus Andream misisse Pirundula gaudet,  
298 Tyrrhenis olim soboles majoribus orta,  
299 egregium studiis juvenem formaque decenti,  
300 qui sensus animi varios facundus et acer  
301 exprimeret, cupidus laudum et sectator honesti.  
302 Largus et, ex imo coleret qui pectore amicos,  
303 affuit et pariter veniens de gente sacrata  
304 Scipio, cui facile ingenium moresque benigni,  
305 dives et egregio Borsi jam notus amore.  
306 Hos inter laeta se fronte Ariostus agebat  
307 alta mente potens Jacobus et inscius irae,  
308 libertate sua gaudens, quem ruris amoeni  
309 cura tenet, cui prima canum accipitrumque voluptas,  
310 tum rerum, quascumque illi fortuna dedisset,  
311 qui partem haud nollet caris posuisse propinquis.  
312 Nec non corporibus magnis et viribus ambo  
313 praestantes aevoque pares florente Roberti  
314 conveniunt, frater Jano cum fratre Philippus.  
315 Horum fama refert Syria Tripolique relictis  
316 Italiam advectos urbem hanc tenuisse parentes  
317 Estensique diu primos sub gente fuisse.  
318 Nec Pius hinc Albertus abest, celeberrima Carpi  
319 quicum sceptrum tenet patrisque Galassius arvis  
320 imperat. Hunc sequitur Mutinae decus, inclytus armis  
321 atque fide insignis Guidus, Rangona propago,  
322 optimus eloquio et Musarum dulcis alumnus.  
323 Nicoleos primae insignis tunc flore juventae  
324 additur his, Strozae proles clarissima Nannis.  
325 Ipse etiam, si quo in numero me forte putabis,  
326 adfueram et rerum venio certissimus auctor,  
327 a genitore puer peregrinas missus ad oras.  
328 Tum, quibus Estensis regali curia sumptu  
329 prospicit, et quos pulchra tulit Ferraria, quosque  
330 Aemiliae regio atque urbes misere propinquae,  
331 conveniunt laetique viam magno agmine carpunt.

332 Liquerat immensas refugi post terga paludes  
333 Bandomagi generosa cohors atque undique circum  
334 piscosis Finale vadis nemorosaque quondam  
335 pascua, nunc hominum felici exulta labore  
336 praedia transierat Scultennae proxima ripis.  
337 Devenere locos, ubi largo turbidus imbre  
338 amnis et exundans nivibus sine more solutis  
339 exierat late et ripas superaverat altas  
340 aggeribus simul abruptis et cuncta tenebat.  
341 Hic comitum nova res oculisque animoque pavorem  
342 injicit atque ita suppressis cunctantur habenis  
343 praecipites veriti fossas, quas unda tegebat.  
344 Dumque alios dubitare videt, puer ecce Philippi  
345 urget equum stimulis camposque ingressus aquarum  
346 se reperire viam, certo quae limite ducat,  
347 confidit. Vixdum a terra procul arduus illum  
348 abstulerat sonipes, violentia fluminis ambos  
349 corripuit simul involvens hominemque ferumque  
350 vorticibus rapidis altoque in gurgite mersit.  
351 Jamque extrema die pars caelo restat, et atris  
352 humentem nimbis obducunt aera nubes  
353 atque suis noctem cogunt properare tenebris.  
354 Tum maesti comites nulla succurrere postquam  
355 arte valent caecisque latent miseranda sub undis  
356 corpora, consensu ingenti vestigia retro  
357 in loca tuta fremunt cuncti referenda, priusquam  
358 occupet errantes nox in discrimine tanto.  
359 Nuntius interea affertur sparsisse minores  
360 a tergo quoque flumen aquas et ubique refractis  
361 riparum objicibus furere et nullam esse relictam  
362 spem reditus ; tanta impulerat se mole vorago.  
363 Jam fragor auditur longequae sonantibus undis  
364 hinc atque hinc trepida formidine pectora turbant,  
365 deprensique malo ancipiti, quo tendere gressum  
366 expediat, simul exquirunt. Sic navita quando  
367 fluctibus in mediis Borea vexatus et Austro  
368 non parcente polo nimbis sub Orionis ortu,  
369 qua tempestati eripiat navimque virosque,  
370 cogitat et caelum et terras pontumque veretur.  
371 At non magnanimi solers vigilantia Borsi  
372 languit aut oblita sui est, faciemve pericli  
373 horruit instantis, non aetas obstitit, alta  
374 quo minus a virtute animi cunctisque salubre,  
375 quodque illi rerum sors ultima poscere visa est,  
376 consilium primus caperet. Nam quattuor omni  
377 ex numero validos juvenes nandique peritos  
378 eligit. Hi pariter nota regione viarum  
379 desiliunt ab equis et longa hastilia gestant  
380 et vada praetentant caute foveasque latentes.  
381 Hos inter medius niveo per fluminis arva  
382 tendit equo innocuus ; comitum dehinc ordine longo  
383 caetera pone manus sequitur. Dissultat aquarum  
384 lubrica planities gressuque agitur equorum.  
385 Sic per mille vias sinuosis orbibus errans  
386 optata demum pubes tellure potita est  
387 et Mutinam sese multa jam nocte recepit.

388 Hinc ubi digressi Situlae praevertimur amnem,  
389 mox vetus occurrit regni imperiique paterni  
390 gurgite arenoso dirimens confinia Lencis,  
391 Parmaque civili toties agitata tumultu  
392 armorum et varias experta Placentia clades  
393 linquuntur, laudisque tenens de nomine nomen  
394 hospitio laetos urbs excipit. Inde profectis  
395 se Ticinum offert celebratum legibus almis.  
396 Huc procerum ingentem numerum praemiserat heros  
397 anguiger. Hi magnos nobis impendere honores.  
398 Inde ad conspectum regis perducere jussi.  
399 Cusagi tum forte ipsum genialia tempe  
400 detinuere ducem, quo nos comitatur euntes  
401 fidus et imprimis gratus Scaramuza Philippo,  
402 stirpe Vicecomitum insignis, facundus et omni  
403 dulcis in alloquio, gravibus maturior annis.  
404 Nec minus a tergo Insubres nostrique sequuntur  
405 atque viam alterno pariter sermone levantes  
406 gratantur falluntque diem. Jam luce fugata  
407 umbra tegit terras, nullisque micantibus astris  
408 Luna silet, solisque vicem funalia reddunt.  
409 Tandem ubi Cusagum nos accessisse relatum est,  
410 fit strepitus, variis resonat clamoribus aula,  
411 undique conveniunt ad regem et limina complent.  
412 Mille simul lychnos famuli accenduntque feruntque.  
413 At chorus incedit juvenum, quos induit ardens  
414 purpura. Tum praeter solitum venerandus ab altis  
415 occurrit gradibus longa cum veste Philippus.  
416 Borsius, ut primum certus pervenit ad aures  
417 rumor adesse ducem et longum circumspicit agmen,  
418 ad terram defertur equo pedes ipse relicto  
419 summissoque genu et prono cervice tyrannum  
420 progressus placida venientem fronte salutatur.  
421 Hoc facit Ugucio, facit hoc Albertus uterque,  
422 hoc reliqui proceres, hoc caetera deinde juvenus.  
423 At princeps juveni dextram porrexit inhaerens  
424 amplexu patrio terraque attollit et inde  
425 ad circumstantes socios se voce manuque  
426 convertit vultuque exceptit laetus amico.  
427 Nec tamen omnino nostrorum carpere primos  
428 destitit, haud veritos juvenem objectare periculis,  
429 qualia multa solent nocturni inducere casus.  
430 Borsius at magno visendi regis amore  
431 id se sponte sua incautum voluisse fatetur  
432 et quae conveniunt primis congressibus addit.  
433 Atque hic subridens princeps "Nos istius", inquit,  
434 "esse animi memores semper decet, optime Borsi.  
435 Nunc vero adventusque tuus comitumque tuorum  
436 laetitia ingenti nos afficit. Ut mea dextro  
437 te sub tecta libens venientem numine cerno !  
438 Ut mihi gratus ades ! Genitor praeclarus ut ista  
439 totus in effigie est ! Juvenem florentibus annis  
440 saepe meos juvenis memini subiisse penates  
441 advectum ob varias causas, quo tempore victor  
442 ipse viros inter simulantes dura sub armis  
443 proelia saepe suas palmam referebat ad urbes.

444 Talis in incessu fuit, idem vultus in illo,  
445 corporis idem habitus, eadem illi verba fuere".  
446 Talia commemorat thalamique ad limina ducit.  
447 Illic multiplici variata aulaea colore  
448 parietibus pendent, laqueariaque eminus auro  
449 fulgent, atque solum instratis latet omne tapetis.  
450 Nec non purpureum capite aurea sustinet alto  
451 sponda torum. Hunc circa insignis cortina superque  
452 tenditur artificis miro contexta labore.  
453 Illius in medio viridanti margine cinctus  
454 fons erat et tenui filo simulata rigabat  
455 nascentes flores in molli gramine lympha.  
456 Formosusque puer venando fessus, ab aestu  
457 dum fugit, irrigui vestigia fontis ad undam  
458 ferre videbatur primoque haurire nitentes  
459 ore lacus ; atque hinc propriam speculatus in undis  
460 effigiem sese ipse novo correptus amore  
461 nequicquam ardebat, donec miserabile votum  
462 nominis in florem similis mutavit amantem.  
463 Tum procul excelso montis de vertice nympha  
464 maesta dabat lacrimas ingratae oblita repulsae.  
465 Parte alia conjux letali saucia morsu  
466 Threicium vatem in lacrimis linquebat amaris  
467 immanem aspiciens alternis orbibus hydrum  
468 serpere per viridis herbas et sibila colla  
469 tollere et ad solitas trepidum properare latebras.  
470 Illam vicino in leto pallere putares  
471 ac roseas mutare genas gratumque decorem,  
472 cum se jam toto fudisset corpore virus.  
473 At vates fidibusque suis et carmine sacro  
474 fretus ad immites Erebi descenderat umbras  
475 jamque ibat consorte tori sub lege recepta  
476 victor et inferni regnum lacrimabile Ditis  
477 paene relinquebat, cum rupto foedere munus  
478 infelix amisit. At illum invisam querentem  
479 Tartara et arguta citharam cum voce moventem  
480 concordem circumstant volucresque feraeque  
481 miranturque virum atque intentis auribus adstant ;  
482 ipsum etiam sylvae montesque et dura videntur  
483 saxa sequi ac tristes miserari in funere casus.  
484 Tertius inde labor saevis in rupe ligatam  
485 nexibus Andromeden sorti exponebat iniquae.  
486 Illam et lugenti similem similemque dolenti  
487 jurares trepidamque metu sua tristia secum  
488 fata queri ac maestos ad sidera tollere vultus  
489 auxilioque vocare deos pacemque rogare.  
490 Virgineos tenuis velabat carbasus artus  
491 et facili impulsu resolutas blanda movebat  
492 aura comas rapidi relevans incendia solis.  
493 At super alcyones volitabant agmine denso  
494 et Cepheidos infortunia deplorabant  
495 funereos querulo meditantem gutture cantus ;  
496 neu tenerae fervens calor ureret ora puellae,  
497 alarum ingenti fecere umbracula velo.  
498 Interea dirum pelagi stridentibus undis  
499 monstrum aderat seseque ad littora nota ferebat

500       conspectam cupiens quam primum absumere praedam.  
501       At pius, ultor adest pennisque per aera lapsus  
502       aequoream pestem magno conamine victor  
503       obtruncat ferro et pretium certaminis aufert.  
504       Nec procul hinc oculis textu pictura decoro  
505       quarta legebatur. Nautarumque impia turba  
506       thesauros secum ingentes pretiosaque regum  
507       munera portantem spoliabat Ariona jamque  
508       tristius ausa nefas saevos distrinxerat enses  
509       aggressura simul vatem letoque datura.  
510       Tum caros artus ferro meditata per aequor  
511       spargere, ne qua forent dirae vestigia caedis.  
512       Ast ubi concilium infandum crudeliaque arma  
513       et certam ante oculos mortem conspexit Arion  
514       extremi supplex spatium breve carminis orat  
515       exoratque viros. Puppi tum maestus in alta  
516       sollicitat sacrae bene respondentia voci  
517       fila lyrae casusque canit miserabilis atros  
518       exequiasque suas. Dulci maria aspera cantu  
519       mulcentur, summisque levant sublimia ab undis  
520       Tritones capita et vitreas super aequora lapsae  
521       Nereides liquere domos ; tum caetera ponti  
522       numina, Vertumnusque et Phorcus et ora Cronillos  
523       canitiae conspersus et undivolans Melicerta,  
524       undique consurgunt ad navem agilique sequuntur  
525       remigio manibusque salum caudisque fatigant.  
526       Hic phocae informes, illic immania cete  
527       apparent ; cupidique sonos humanaque verba  
528       et voces audire novas delphines ab imo  
529       gurgite conveniunt ac pontum pectore sulcant,  
530       jamque ratem squamosa cohors cingebat, et horum  
531       maximus anteibat nando intentusque canenti  
532       haerebat. Tum saeva pius discrimina vates  
533       hostilesque manus fugiens te, Phoebe, vocato  
534       se dabat in fluctus curvique ingentia piscis  
535       terga premebat eques, Phoebos quem sacra canentem  
536       vocalesque levi tractantem pollice chordas  
537       Thaenaron advexit posuitque in littora delphin.  
538       Pars ea, quae fulcrum trabibus resupina sub altis  
539       integit, aurato effulget circumdata limbo.  
540       Illic anguigerae gentis celeberrima pulchro  
541       picta magisterio signa ostenduntur. At alte  
542       in medio nemus Hesperidum ramique nitentes  
543       aurea mala ferunt ; aditu sedet asper in ipso  
544       nec quemquam patitur custos succedere luco.  
545       At bonus Alcides quid enim non vivida virtus  
546       implicitum expediat ? Saevi fera colla draconis  
547       exsuperat clava et dites auro exuit hortos.  
548       Tali igitur thalamo dux Borsum accepit et illic,  
549       dum poscant epulae, juvenem requiescere jussit  
550       nec proferre pedem sinit extra limina, quamvis  
551       secum illum aspiceret studio certare modesto.  
552       Interea lecti juvenes aulaeque magistri  
553       conveniunt. Crebris collucent atria flammis  
554       undique, et argenti atque auri nitet ordine certo  
555       structa ingens acies. Caelatis insuper urnis

556 effusum manibus rorem niveasque ministri  
557 dant mappas, alii, donec discumbitur, adstant  
558 sublimesque tenent subjecto vertice mensas.  
559 Nec minus egregiam pars haec exulta per artem  
560 textilibus calathis Cerealia munera portant  
561 imponenda toris. Fetus pars illa recentem  
562 Maenaliae pinus dura testudine fractum,  
563 nectareus Paphiae quem succus arundinis ambit,  
564 undique odorato suavique amplexus amictu,  
565 aurato cratere gerit. Libamina at illi  
566 prima ferunt. His cura penum laticesque Lyaeos  
567 instruere et fontis purum instaurare liquorem.  
568 Jamque intro illatis dapibus discedere turbas  
569 atque viam fieri medium jussere per agmen  
570 rectores auro insignes sceptrisque superbi.  
571 Hos juvenum manus observat. Quaeque aera pennis  
572 sollicitant, quae terra, fretum fluviique tulerunt  
573 artifici luxu delusa animalia nobis  
574 certatim apponunt. Pateris tum Bacchicus humor  
575 ardet in auratis, famulique per ampla frequentes  
576 tecta volant variisque obeunt sua munera curis.  
577 Nondum expulerat vario repetita paratu  
578 cena famem, Phrygia veniens in veste melodes  
579 frondis Apollineae sertis redimitus et auro  
580 intonsos crines ducibus se protinus offert.  
581 Tyrrheno genitore satus, genitrice Sicana,  
582 voce, lyra insignis, cantu praeclara virorum  
583 facta recensebat, seu quae prius ipse notasset  
584 sponte sua, seu quae teneris didicisset ab annis,  
585 sive aliquid sibi non meditatam effingere mallet.  
586 Ille igitur citharam dum plectro intentus eburno  
587 concordare docet, tenuere silentia turbae.  
588 Mox ubi praelusit fidibus, memorabile regnum  
589 Artusi Magnique refert gesta inclyta Carli  
590 heroasque canit Gallos fraudemque Magancis  
591 addit et Hispanae scelus exitiabile pugnae.  
592 Tum, quibus Italiam Bavarus peragraverit armis,  
593 narrat et, unde ferox ad nos pervenerit Ancus  
594 Flaminiam bello aggrediens, caesasque cohortes,  
595 Armeniace, tuas memorat, Tyrrhena priusquam,  
596 quo tendebat iter, miles venisset in arva,  
597 infensusque animis hinc Sforzia, Braccius illinc,  
598 Marte sati, quantos simul excivere tumultus.  
599 His etiam Insubris clarissima facta Philippi  
600 et varios Italum motus externaque bella  
601 jungit et egregias Borsi super omnia laudes.  
602 Talia facundo postquam edidit ore melodes,  
603 ingentem Posterla scyphum nigrante Falerno  
604 impleri jubet ; ille manu non lentus utraque  
605 porrectum arripuit primoque exorbuit haustu  
606 et crepitum ore dedit prolutus nectare fauces.  
607 Purpuream chlamydem contextam Borsius auro  
608 imperat afferri Tuscumque hoc munere donat  
609 artifices laudans gestus vocemque manumque.  
610 Tandem ubi sublatis dapibus convivia cessant,  
611 ducimus insomnes longis sermonibus horas.



612 Proximus a Borsi laeva Scaramuza sedebat,  
 613 quem sic alloquitur : "Cupio cognoscere vestra  
 614 principia atque omnem fortunam gentis et hujus  
 615 principis antiquos casus et facta juventae.  
 616 Tu, quem multa dies atque experientia doctum  
 617 reddidit, ista, senex venerande, edissere nobis ! "

## LIBER NONUS

B\_9 v.1 Haec postquam sociis eadem cupientibus heros  
 2 edidit atque omnes arrectis auribus instant,  
 3 convenisse animos Scaramuza et lumina vidit.  
 4 Haud mora, sic fari coepit : "Memorable, Borsi,  
 5 argumentum affers, nec fas pulcherrima vota  
 6 spemque tuam trahere in longum aut fraudare negando.  
 7 Pauca tibi breviter, sed, quae monumenta parentum  
 8 multa tenent secumque ferunt certissima nostra  
 9 indicia, attingam. Jam primum sanguinis hujus  
 10 Angleriae comites, Federici Caesaris armis  
 11 expulsi patria, caput autoresque fuere.  
 12 Hos etiam agnomen parvo post tempore constat  
 13 antiquum amisisse Vicecomitesque vocatos.  
 14 At se primus in hac Ubertus origine dici  
 15 sic voluit nostraeque dedit nova nomina genti.  
 16 Hunc Otho subsequitur, qui magnam accitus in urbem  
 17 insubris populi antistes rectorque futurus  
 18 nostris inde viam ad summi fastigia regni  
 19 fecit avis tantisque tulit primordia rebus.  
 20 Te quoque non dubitem generi, fortissime, nostro  
 21 inserere, id quamvis nonnulli, Eriprande, putarint  
 22 secius egregiaeque inviderit aemula famae  
 23 posteritas. Bello tu victis hostibus olim  
 24 viperea armipotens meruisti insignia victor  
 25 vexillis portare tuis sobolique futurae  
 26 hoc decus eximia primus virtute parasti.  
 27 Tene ego non referam Thebaldi clara potentis  
 28 progenies ? Tu Vercellas, Matthaee, Comumque  
 29 oppidaque expugnas Lari contermina ripis,  
 30 imperioque tuo superata Novaria paret,  
 31 et patrios fines profers victricibus armis  
 32 strenuus, Arnolfo regi carissimus olim.  
 33 Hinc formidatus late Galeacius ingens  
 34 exoritur, sequiturque patrem fortissimus ille  
 35 Accius, Estensi Oppicio qui sanguine junctus  
 36 consiliis opibusque viri feliciter usus  
 37 dicitur, obsessae cum magnis arma Cremonae  
 38 viribus inferret positus ad moenia castris.  
 39 Quid Stephanum Marcumque loquar, quid facta potentis  
 40 Luchini ? Quid pontificis Joannis honores

41 Bernaboumve sequar ? Veteris confinia regni  
42 dicunt innumeras hos propagasse per urbes  
43 et Ligures domuisse feros ac littoris oram  
44 Tyrrheni. Crevit late generosa propago  
45 ingentesque tulit ramos. Sed caetera mitto,  
46 opportuna sequens, ne longa per avia ducam.  
47 Ecce secundus adest aeternae laudis amore  
48 ante alios ardens Galeacius. Illius armis  
49 Ticinum imperio adjectum, quo tempore magnis  
50 te captivum opibus, rex Carole, ab hoste redemit  
51 tristibus eripiens vinclis ; quo munere natae  
52 fit socer ipse tuae thalamosque ex foedere jungit.  
53 Hic Jovis antiquo dictam cognomine portae  
54 splendidus egregiam patriae sub moenibus arcem  
55 condidit, anguigeris habitandas regibus aedes.  
56 Multa illi praeclara viro et dignissima, quae nunc  
57 linquimus, adfuerant. Magnum hoc genitore creatum  
58 Joannem accipimus. Claris virtutibus ambo  
59 insignes et pace pares, sed filius armis  
60 acrior Adriacas bello penetravit ad oras  
61 atque omnem ferme Italiam sibi Marte subegit  
62 duxque Vicecomitum meruit de sanguine primus  
63 institui et veterum illustres superare triumphos.  
64 Hujus fama viri externas celeberrima gentes  
65 terrarumque plagas omnes lustravit et aequor.  
66 Quin et in Assyria magno venerabile sumptu  
67 construxit templum et regalia munera coram  
68 obtulit, aeterni felix ubi terra parentis  
69 servat honorata sub religione sepulchrum.  
70 Hoc gemini fratres orti de semine, quorum  
71 alter ad imperium florentibus aptior annis  
72 post patris amissi funus, quem nomine, sed non  
73 eventu simili paribus nec rettulit actis,  
74 ante diem miser insidiis et fraude suorum  
75 occubuit regnumque simul vitamque reliquit.  
76 At puer erepto fatis genitore Philippus  
77 antiquam Ticini urbem Phoeboque dicatam  
78 Veronam obtinuit. Sed enim manus impia postquam  
79 per scelus exstinxit crudeli funere fratrem,  
80 continuo immites regnum invasere tyranni.  
81 Ipse domo ejectus, fortunae agitated iniquae  
82 fluctibus, omnium egens, inopem sine honore, sine ullis  
83 subsidiis vitam per cuncta extrema trahebat,  
84 privatis discens animum submittere curis,  
85 dum meliora dies versis daret omnia rebus.  
86 Ecce insperatae subito via certa salutis  
87 illius ante oculos moriente oblata Facino.  
88 Namque viri conjux post ultima fata superstes  
89 imparibus quamquam thalamis sociata Philippo est.  
90 Multa potens juvenem magnarum erexit ad altam  
91 spem rerum mulier. Sic quas amiserat urbes,  
92 conjugis auxilio recipit majoraque victor  
93 protinus aggreditur. Neque enim semel excita virtus  
94 desidiamque pati ac subito requiescere norat.  
95 Ergo animis ardens auroque instructus et armis,  
96 tum Carmignolae auspiciis ductuque secundo

97 fretus et egregiam veterani militis omni  
98 arte fidem expertus dextrasque ad jussa paratas,  
99 sustulit Herculeo domitos de more tyrannos  
100 et varias gentes Mediolanumque recepit.  
101 Atque hic fraternam caedem non segniter ultus  
102 rettulit eximios notae pietatis honores,  
103 Lutherioque Comum eripuit nec spreuit eundem  
104 submissis veniam precibus vitamque rogantem.  
105 Supplicis at merces animi Lugania vallis  
106 tradita. Mox bello devicta Placentia pulsis  
107 Arcellis, Triciumque capit fastusque Gabrini  
108 terribiles domat. Hinc lata ditione Cremonam  
109 occupat Eridanum transgressus et undique magnis  
110 praesidiis regnum firmat. Sic ordine solers  
111 felices plantas ubi pinguibus insitor arvis  
112 disposuit, teneris extemplo inducit amictum  
113 arboribus juxtaque solo retinacula figit  
114 stipitibus solidis et vincla tenacia nectit  
115 horrida ne valeant surgentem flamina sylvam  
116 dejicere aut errans saevo fera laedere morsu.  
117 Bergameas acies successu victor eodem  
118 subdidit, et nostras accepit Brixia leges,  
119 firmanumque urbi nequicquam vana ferentem  
120 subsidia aggressus pugna superavit eumque  
121 cepit et afflictas Pandulphi cladibus atris  
122 pene avertit opes, quamquam non indigus ille  
123 consilii late Hesperio regnaret in orbe.  
124 His actis arma in Ligurem felicia vertit  
125 atque ducem ingenti pugna victum expulit urbe.  
126 Nec vero nostros laetati invadere fines  
127 assueti ferro Helveti Cimbrique feroces ;  
128 rupibus Alpinis hos Carmignola ruentes  
129 nec non, eximium dederat cui Pergula nomen,  
130 Angelus immani perculsos strage fugarunt.  
131 Quem latet insignis navalis gloria pugnae,  
132 qua victos captosque truci certamine reges  
133 atque expugnatas tractasque ad littora classes  
134 vidimus et nostri sub jura redacta Philippi  
135 cuncta, quibus magno terrore Ligustica nuper  
136 aequora turbarant fratres ? Haud Dardanis umquam,  
137 Asserete, tuos Caieta silebit honores.  
138 Tu praefectus eras nostrae, vir maxime, classis ;  
139 consilio et virtute tua res tanta peracta est,  
140 quantam nec prisca cognovit temporis ulla  
141 nec videt haec aetas nec postera forte videbit.  
142 Hinc data magnanimo pulcherrima causa Philippo  
143 Caesareae mentis per cunctas pandere gentes  
144 praeclarum exemplum. Dignissima munera tantis  
145 regibus ac sociis princeps largitur et omnes  
146 regni largus opes Alphonso et fratribus offert  
147 libertate data et belli jus omne remittit.  
148 Jamque animo majora parat claustrisque teneri  
149 se velut inclusum exiguis putat, omnia si non  
150 vendicet ipse sibi, genitor quae maximus olim  
151 obtinuit. Qualis generosi sanguinis acer  
152 conspectis fremit ora feris et vincla recusat

153 ferre canis praedae intentus dominoque repugnat,  
154 haud aliter juvenis laudum stimulatus amore  
155 angitur. Haec animo meditante oblata novarum  
156 Spes rerum. At quoniam subito Florentia motu  
157 excita se bello implicuit, nunc altius omnem  
158 discutiam irarum repetens ab origine causam.  
159 Forlivi imperium gens Ordellaffia rexit.  
160 Conjuge defuncto parvi Lucretia nati  
161 praeficitur rebus. Studio sed femina patrum  
162 diffidens plebem arcanis admittere coepit.  
163 Id vero populi primos omnemque senatum  
164 protinus offendit dubiosque in proelia movit.  
165 Armati invadunt arcem subitoque tumultu  
166 aedibus inclusam capiunt et carcere servant.  
167 Interea lectos equites traducere Lugum  
168 oppressos bello mox transgressurus ad Umbros  
169 a duce jussus erat Siccus. Nam Braccius illic  
170 ferro cuncta ferox simul infestabat et igni  
171 Pontificique graves tumidus victoribus armis  
172 intulerat clades multasque subegerat urbes.  
173 Siccus ut auxilio Martini rebus adesset,  
174 accelerabat iter peragens mandata Philippi  
175 castraque Lugensem subito delatus in agrum  
176 ad Ronchadelli fauces prope flumen habebat.  
177 Attulit optatam mors opportuna quietem  
178 Pontifici. Nam cum pervaderet omnia terror  
179 atque Aquilam dura cinctam obsidione teneret,  
180 in medio rerum cursu Perusinus ad urbis  
181 moenia pugnando occubuit. Sine nomine miles  
182 atque humili de stirpe satus per pectus adacto  
183 vi multa armatum leviter mucrone peremit.  
184 Cogitur haec propter Siccus desistere coepto,  
185 anguigerique ducis quae sit sententia quove  
186 ducere mox acies jubeat, dum quaerit, in hisdem  
187 se tenuit castris sinuoso flumine cinctus.  
188 At tuus hunc genitor, Forlivi accederet urbem  
189 quam primum, hortatur modo non obstante Philippo,  
190 sed potius suadente, novi quo principis ille  
191 rem studio praesens omni tutetur et armis.  
192 Nicoleos cur id cuperet pueroque faveret,  
193 causa erat Ordilaffa hospitium cum gente vetustum.  
194 Sublatis igitur Siccus rapit agmina signis  
195 et, quo jussus erat, citus advolat. Huc quoque missas  
196 nomine Nicolei turmas adducit equestres  
197 Aldobrandinus, Joculi generosa propago.  
198 Hos monitu patrum cives, saevissima cum jam  
199 seditio fureret turbatis undique rebus,  
200 accirique jubent atque intra moenia duci.  
201 Thebaldum absentem populo sceptrisque paternis  
202 praeficiunt puerique urbem sub nomine servant.  
203 Ast aliter Florentini sensere novoque  
204 praetextu velare dolos fraudemque Philippum  
205 crediderunt, ut Forlivo potiretur et inde  
206 finibus Etruscis vicinas subderet arces.  
207 His animos stimulis accensi protinus arma  
208 spectant et ruptis hostem indignata Philippum

209 foederibus censet plebes nec parcitur irae.  
210 Parte alia, quibus urbis erat commissa regendae  
211 cura, viri, tacitis eadem sententia quamquam  
212 mentibus haereret, maturis omnia agebant  
213 consiliis tamen et, quae mens animusque Philippo,  
214 quid strueret, satius caute explorare putabant.  
215 Ire Lavellensem interea placet Obiciumque  
216 ductores ; atque hi sexcentos ducere jussi  
217 Forlivum instructos equites, qui nomine tantum  
218 Thebaldi sese ostendant opponere Sicco,  
219 ac penitus rem dissimulent pugnamque cientes  
220 principis utantur signis, omnemque relinquat  
221 innocuum accedens pacate exercitus agrum.  
222 Haud latuit simulata ducem quo vertere Tusci  
223 consilia extemplo cuperent suaque arma timeri ;  
224 atque illis ubi se suspectum sensit et hostem  
225 se tacite signari, acres turbatus in iras  
226 exarsit gravibusque refellens crimina verbis  
227 justa laccessitus tandem jubet arma parari.  
228 Atque ea conflatis odiis utrimque per oras  
229 Flaminiae dum sic jaciuntur semina belli,  
230 Strocigenam Estensis Nannem, cui vivida virtus  
231 ac rebus spectata fides decus attulit ingens,  
232 quem secum a primis aequaevum eduxerat annis,  
233 legatum ad proceres populi decernit Etrusci,  
234 scilicet ut tantos orientes undique motus  
235 comprimat et media componat foedera pace.  
236 Atque hic verborum caput ac sententia Nannis  
237 constitit : aut sinerent cognati atque hospitis omnem  
238 Nicoleo curam Estensi aut paterentur eundem  
239 Suscipere imperium ac propria ditione tenere,  
240 praesertim pulso Ordlafo civilibus armis  
241 cum sibi concessas Romano a praesule terras  
242 reddiderit veteri casum miseratus amico.  
243 Si nihil istorum patribus sedet, ambo relinquunt  
244 Flaminiam revocentque suos, hinc Tuscus et illinc  
245 Anguiger, assensu concordi urbemque sequester  
246 servanda accipiat Nannes pro pace regendam.  
247 Sic rem componi posse et formidine dempta  
248 cessaturam odii causam tristesque tumultus.  
249 Exitus ardenti populo Martemque frementi  
250 dicta minus placuisse docet. Nam milite passim  
251 conducto innumeras equitum peditumque catervas  
252 conficiunt studiisque parant certamina summis.  
253 Jamque duces bello egregii Pandulphus et ingens  
254 Carolus, erepta infensos quos Brixia nobis  
255 reddiderat, socias vires atque agmina jungunt.  
256 Castrorum imprimis curam tibi, Carole, mandant ;  
257 tu caput atque omnis rerum in te summa recumbit.  
258 At neglecta diu ne quam haec inducere cladem  
259 pars Latii valeat, studio cavet Anguiger omni ;  
260 quemque tui nuper genitoris nomine Siccum  
261 Forlivi admisit populus, custodiat arcem  
262 admonet atque ipsi intendat servare Philippo.  
263 Quina in Flaminiam delectae millia pubis  
264 post haec ire jubet veteranorumque cohortes

265 jungit. At his rector praeponitur omnibus acer  
266 Angelus. Hic, humilem qua Zagonaria surgit  
267 erecta in tumulum, veteris fretum obice valli  
268 obsidet Albricium, cui ferro exercita gaudet,  
269 incola pugnacis Lugi, parere juvenus.  
270 Carolus obsessis Ronchi statione relicta  
271 accelerat laturus opem nec proelia viso  
272 differt hoste ferox. Par nostros excitat ardor.  
273 At quoniam supplere suas me jusserat illic  
274 ipse vices, omne arbitrium et sua jura Philippus  
275 in castris mihi committens, quae cernere coram  
276 sors dedit, illa tibi breviter verissima dicam.  
277 Primum igitur structas acies hortatur uterque  
278 ductor. Et ad jactum teli consistere jussos  
279 Carolus alloquitur socios : "O florida pubes,  
280 delecta ex omni Italia, quae robore praestas  
281 corporis atque animi virtute, ostendere tempus  
282 nunc datur, an frustra, quod non reor, optima de te  
283 spes concepta mihi fuerit meque omnia fallant.  
284 Vobis fretus ego per saeva pericula belli,  
285 per dubios rerum casus terraque marique  
286 intrepidus ferar et nil non superabile ducam.  
287 Si vobis alias quaerendi oblata facultas  
288 nominis ulla, viri, nullum interitura per aevum  
289 gloria nunc sese ostentat certusque triumphus  
290 Tyrrhenae hic agitur summo de gentis honore,  
291 quam nemo ingratham et meritis non aequa ferentem  
292 arguat. In manibus, socii, Florentia vestris  
293 quid valeat positum. Libertas illa salusque  
294 Florentis populi per vos defensa manebit,  
295 cui commune malum Italiae ferus imminet hostis.  
296 Nec minus ultores mea vos injuria poscit,  
297 cui tantum imperii violentis abstulit armis  
298 regnandi immenso compulsus amore tyrannus.  
299 Promite nunc animos, illas nunc fundite vires,  
300 quas prae se aspectus fert iste et quas mihi vestrae  
301 promisere, viri, per mutua foedera dextrae !  
302 Interclusum hostem vobis fortuna meusque  
303 non segnis dedit adventus. Quos Angelus illic  
304 obsidet, a fronte erumpent pugnamque ciebunt  
305 consilio jussuque meo. Nos impete magno  
306 illati a tergo dabimus sine more procellam.  
307 Nec pauci numero poterunt tot fortibus ipsi  
308 millibus esse pares. Et eos ne qua ora receptet  
309 Flaminiae, si quis vestros effugerit enses,  
310 provisum a nobis". Postquam haec Malatesta locutus,  
311 quamquam alacer dictis ostenderet omnia miles  
312 grata sibi, magno spondens se ardore paratum,  
313 quae cuperet praestare duci, tamen anxius ipse  
314 maerorem insolitum dux tristi corde premebat,  
315 sponte sua admirans causam et formidinis experts,  
316 cunctaque non prono quam primum maximus heros  
317 consilio exsequitur, quae res ac tempora poscunt.  
318 Angelus interea certo sibi nota relatu  
319 omnia jam coram aspiciens hostemque propinquum  
320 illicet instructum esse, ad pugnam armatus et alto

321 vectus equo, galea sed nondum tempora tectus,  
322 tali pro castris affatur voce cohortes :  
323 "Ecce, quod optastis, vestro praesentia voto  
324 numina dant, socii, dextra conflagere et illum,  
325 quem sumus experti toties, ostendere nobis  
326 mentibus ex istis nusquam cecidisse vigorem.  
327 Hostis adest, qui si numero fortassis et alta  
328 egregii virtute ducis confidit habete,  
329 quae contra responsa parem ! Quem saepius urget  
330 perculsum et duro Fortuna asperrima vultu  
331 territet, ille quidem numquam rarove resurgit.  
332 Atque animis quamvis perstet, tamen effera semper  
333 tempestas objecta oculis prosternere mentem  
334 excussa ratione potest et frangere vires.  
335 Carolus amissas ubi tot reminiscitur arces  
336 ac toties victor supra caput imminet hostis,  
337 pristina nunc forsitan virtus languere parumper  
338 incipiet, victas senio torpescere vires  
339 corporis haud dubium est nec eum jam posse labores  
340 militiae tolerare graves, velut ante solebat,  
341 cum floreret adhuc animis juvenilibus aetas.  
342 At quid inexperto plenas tirone cohortes  
343 innumeras metuum ? Juvenum hic fortissima certant  
344 pectora, nec fallor. Sed quis veteranus in armis,  
345 quid valeat mens, ignorat ? Vos regna Philippo  
346 formastis ; vestraque manu pacata quiescit  
347 Gallia ; Germanos, Cimbro Liguresque superbos  
348 Flaminiaeque simul partem domuistis opimae  
349 me ductante, viri. Castris nutritus in istis  
350 arma, genus, patriam, galearum insignia, mores  
351 atque sonum vocis praeclaraque militis aera  
352 et phaleras vestras et equos et nomina novi.  
353 Haud usquam ad pugnam regio magis apta, neque ullas  
354 nos sinit insidias haec circumfusa vereri  
355 planities. Omnis spes in virtute reposta est,  
356 qua non esse pares illos victoria vobis  
357 ostendet. Sed ne erumpens obsessa periculum  
358 turba inferre queat, satis est pro tempore cautum.  
359 Haec regem Italiae, socii, factura Philippum  
360 adjiciat nobis decus indelebile pugna.  
361 Quare, agite, auspiciis superis in proelia mecum  
362 ite alacres ! Consueta duci vexilla tot annos  
363 vincere in adversos infer mihi, signifer, hostes ! "  
364 Talia dum memorat, primo Jovis ales ab ortu  
365 aera per liquidum celeri delapsa volatu  
366 terque quaterque ducis circum caput ardua fertur.  
367 Mox nullo tardata metu nullosque perhorrens  
368 castrorum strepitus tentori in culmine sedit,  
369 augurium adventu felix latura secundo.  
370 Parte alia sese Tyrrhena per agmina cursu  
371 proripit et rabido puerum crudeliter ore  
372 Martius extinctum lacerat lupus atque ferentem  
373 auxilium telis simul et clamore minantem  
374 audax contemnit turbam incolumisque recedit  
375 ex oculis evanescens nullique videndus.  
376 Quo tenuisset iter crudeli caede peracta

377 nec quibus e latebris prodiisset, cernere cuiquam  
378 fas fuit ; oblatuſ coram, mirabile dictu !  
379 Hoc ſtrepitu procul accepto ratus Angeluſ hoſtem  
380 promoviſſe agmen, Martiſ certamen inire  
381 pergit. Jamque ſuoa in proelia moverat acer  
382 Caroluſ, atque omniſ ſe utrimque exercituſ infert  
383 conſeriturque manuſ. Tum viribuſ aſpera ſummis  
384 pugna geri coepta eſt. Clangoribuſ aethera rumpunt  
385 permisto clamore tubae, et jactata per auras  
386 undique tela volant adverſaque corpora figunt.  
387 Comminuſ hi gladioſ ſtringunt, illi eminuſ haſtaſ  
388 acriter incurrunt, validiſ concuſſa virorum  
389 ictibuſ aera ſonant, volitantque ad ſidera trunci.  
390 Hic gemituſ morientuſ, illic per tela ruentiuſ  
391 auditur late clamor, perfuſſaque ferro  
392 purpureuſ lavat arma cruor, moribundaque membra  
393 ſanguinea volvuntur humo, tardatur equorum  
394 impetuſ illata per triſtia vulnera morte.  
395 Saevuſ ubique furit Mavorſ, ferit horriduſ aureſ  
396 ſtridor, ut inter ſe Stygiuſ concurrere Maneſ  
397 luctificaque puteſ media inter monſtra ſoroſeſ  
398 Tartarea dare ſigna tuba atque accendere belluſ.  
399 Quiſ variuſ morteſ et ſtrata cadavera paſſim  
400 truncatoſque artuſ referat ? Non haſta neque enſiſ  
401 plumbea nec ceſſat glanſ ignibuſ acta per auras  
402 ſulphureiſ clamorque graviſ, celereſque ſagittae  
403 exitiuſ letale ferunt per vulnera mille.  
404 Peſtiſ atrox paſſim bacchatur, et utraque nuſquam  
405 inclinata acieſ vi magna ſervat eundem,  
406 quem tulerat ſorſ prima, locuſ atque interrita pugnat.  
407 Ordine ductoſeſ triplici ſtruxere ſuorum  
408 agmina. Pandulfuſ dextram tenet, inclyta cujuſ  
409 progenieſ laevuſ cornu, Siſmunde, tueriſ,  
410 vixduſ etiam juveniſ, ſed jam tum acerrimuſ armiſ.  
411 Dux mediaſ regere ipſe acieſ et, quodcuſque neceſſe eſt,  
412 proſpicere atque noviſ turmaſ, qua parte laborant,  
413 ſubſidiis firmare manuque et voce juvare,  
414 militiſ egregii et praeclari munuſ obire  
415 ipſe animo praeſente duciſ nec linquere quicuſquam,  
416 conſilio atque opera peragi quod poſſe putetur.  
417 Parte alia geminoſ praeeperat utraque fraſtreſ  
418 cornua tutari natuſque adjuſxerat illiſ  
419 Angeluſ e medio curanſ reruſ agmine ſummam.  
420 Siſmunduſ latere a dextro tum concituſ hoſtem  
421 ſtrenuſ inſtantem reprimiſ retroque referre  
422 pene graduſ egregie pugnanſ jam cogit. Et illoſ  
423 et pudor et notaſ viſeſ et priſtina reruſ  
424 gloria geſtaruſ accendit, pariterque reſiſtunt  
425 unanimeſ maluntque mori quam amittere famam.  
426 Alteriuſ legio, quae fuſa in parte ſiniſtra  
427 dimicat, ingenti Pandulfuſ turbine adorta,  
428 Tironem modo conductuſ et vix Martiſ habentem  
429 uſuſ aliquem premit inque fugam pulſo agmine vertit.  
430 Militiſ omne ſui robur glomerarat in unuſ  
431 Caroluſ et lectoſ equiteſ pedituſque catervam  
432 ſe circum pugnare, graduſ quocuſque tuſiſſet,



433 jusserat. Hic duri moles certaminis haesit,  
434 confertamque omni perfringere saepe phalangem  
435 pergula conatu frustra contenderat, et par  
436 inter utrumque diu largo cum sanguine pugna  
437 cruda erat atque anceps. Hinc spes pendebat et illinc,  
438 nec victus nec victor adhuc, quem dicere possis,  
439 ullus erat, sed par virtus perstabat utrimque.  
440 Ecce autem in medio bellantum ardore reclusis  
441 continuo Albricus portis erumpit, et illum,  
442 Angelus adversa quas in statione locarat,  
443 rejiciunt intra valli munimina turmae  
444 et clausum prohibent campo se inferre patienti.  
445 Postquam aciem vidit Malatestae audentius in se  
446 Angelus irruere atque viam sibi pandere ferro  
447 hortantemque suos ipsum conspexit et inter  
448 confertos versari hostes gladioque furentem  
449 rem gerere advertit, non parvum corde dolorem  
450 concipit et graviter turbatus in omnia mente  
451 fertur et huc, illuc a tergo, a fronte per agmen  
452 proripitur verbisque suos metuendus amaris  
453 increpat : "O quantum, miles, tua segnia facta  
454 dedecus admittunt ! Armorum nomina tiro  
455 qui neque adhuc didicit gladium nec stringere novit,  
456 missile cui jaculum dextra torquere reducta  
457 ignorat penitus, qui lancea nescit equestris  
458 quo gestanda modo, quo certos dirigat ictus,  
459 denique cui nullus, nisi nunc, fuit usus equorum,  
460 Te, velut ignavum pecus, hic caeditque fugatque ?  
461 Nonne pudet ? Mea signa quidem victricia sunt haec.  
462 At veteranus abest, gravibus quem saepe solebam  
463 deterrere minis in saeva pericla ruentem,  
464 res nisi sic peteret. Vestra arma et nomina vestra  
465 nunc tantum agnosco, pedites equitesque pudendi  
466 degeneresque, mei, quondam clarissima virtus  
467 dum vigit, socii, nunc vero ignobile vulgus  
468 et spernenda mihi omnino expellendaque turba.  
469 Quid statis ? Vestrasque manus quae dira retardat  
470 segnities ? Testor superos, quoscumque videbo  
471 hic, non esse viros adversaque tela paventes  
472 hos in amicorum numero non esse meorum  
473 nec fore, verum hostes hoc acriter ense petendos".  
474 Talibus increpiti magno cum murmure dictis  
475 exarsere viri ac merito convicia de se  
476 illa ducem jactasse ferunt et sponte fatentur  
477 se multo graviora pati debere, quod hostis  
478 Marte pari contra tanto contendere nisu  
479 hactenus ausus erat, saevosque imitata leones  
480 omnibus ira subit, lateri cum spicula fixit  
481 et Getulus adhuc minitatur vulnera latro.  
482 Ter centum pedites, equitum delegerat alam  
483 Angelus ex omni numero, quos stare paratos  
484 jusserat extra aciem, dum res tempusque vocaret.  
485 His ubi signa dedit, conferti in proelia raptim  
486 sublato clamore ruunt strepituque repente  
487 horrisono accendunt Martem et crudescere cogunt  
488 Martia ab integro surgentem classica pugnam.

489 Non ita praecipiti maturam grandine messem  
490 tempestas campis prosternit turbida caeli,  
491 ut glomerata manus perculsos strage cruenta  
492 attonitosque novo certamine dissipat hostes.  
493 Ipse inter primas acies volat Angelus, instar  
494 fulminis, et stricto circummetit omnia ferro.  
495 Terribilis sequitur turmae permistus equestri  
496 exitium importans peditum denso agmine nimbus.  
497 Urgentur Tyrrhenae acies ceduntque solutis  
498 nutantes primum ordinibus ducibusque relictis ;  
499 mox trepidante fuga reperit sibi quisque salutem.  
500 At memor antiquae virtutis Carolus ac se  
501 undique desertum et nullam spem rebus adesse  
502 vidit et adversis penitus ruere omnia fatis,  
503 "Numina testor", ait, "tantae, Florentia, causam  
504 me cladis non esse tibi culpaque carere  
505 atque ducis, mihi dum licuit, me munere functum.  
506 Nunc inimica premat quamvis Fortuna meisque  
507 laudibus invidet casuque involvar acerbo,  
508 non tamen hunc animum sors nostrum pessima vincit,  
509 sed, dum luce fruam, dum ferrum haec dextra tenebit,  
510 nec mutare fidem statui neque inultus obire".  
511 Dixit et, accepto bellator vulnere cum vix  
512 staret equus, cunctis senior licet obsitus armis  
513 insilit alipedem famulo ducente paratum  
514 rursus et in saevi rapitur certamina Martis  
515 hostilemque globum paucis comitantibus heros  
516 turbat et ingentem, qua se tulit erga, procellam  
517 suscitatur. Ereptos dum quaeritat anxia foetus,  
518 non agitur tanto genitrix Hyrcana furore,  
519 quos velocis equi cursu speculique nitentis  
520 objectu, simili referentis imagine eorum  
521 effigiem, fretus praedo jam nave parata  
522 abstulerat, sulcans spoliatis aequora lustris.  
523 Jam pugnantum oculos in se converterat acer  
524 Carolus. Insubres ira subitoque pudore  
525 accensi circumstant horrenda frementem,  
526 atque renitentem frustra potiusque volentem  
527 per decus effosso generosam effundere vitam  
528 pectore, quam vivum se dedere turpiter hosti,  
529 quadrupede ingestis telis cepere perempto.  
530 Is quoque Sismundi juvenis fuit exitus. Haec te  
531 sors, Pandulfe, tulit, forti clarissime dextra.  
532 Quos ambos opera edentes ac denique captos  
533 Angelus in castra abduci felicia jussit.  
534 Nec mora, relliquias levis armatura fugati  
535 agminis et tardae passim vestigia turbae  
536 Prosequitur. Spoliis victor castrisque potitus,  
537 captaque signa, ducique ingens victoria parta.  
538 At Malatestaeos magno suscepit honore  
539 princeps ipse duces ad se post proelia missos  
540 muneraque ampla dedit ; libertasque omnibus inde  
541 concessa, in patriamque nepos fratresque remissi.  
542 Confisamque tuis opibus magnoque tumentem  
543 nequicquam armorum te, Florentina, paratu  
544 contudimus, nostrique jugum Florentia ferret

545 victa ducis, nisi se medium interponere bello  
 546 ac socias Venetus properasset jungere vires.  
 547 Hinc ingens rerum moles excita, neque ante  
 548 tot clari coiere duces, collecta per omnem  
 549 Italiam nec tot complerunt agmina campos.  
 550 At Fortuna fidem mutatis improba fatis  
 551 rupit et implicuit bello, cui forsitan aetas  
 552 nullum nostra dabit finem. Sed caetera post haec  
 553 in melius referat magni regnator Olympi  
 554 et propria Italiam vertentem in viscera dextram  
 555 respiciat pius humanisque laboribus adsit ! "  
 556 Talibus heroum pascebat pectora dictis  
 557 inclyta Maffei soboles finemque loquendi  
 558 hic dedit. At juvenum sublatis undique mensis  
 559 laeta cohors aderat dapibus vinoque refecta.  
 560 Surgitur, et magnis ardent fulgoribus aedes.  
 561 Hic Borsum proceres thalamo induxere parato.  
 562 Ast alias sedes alii et diversa requirunt  
 563 hospitia. Hinc placidam nox intempesta quietem  
 564 invitat, serpitque levi per lumina lapsu  
 565 atque oblita sopor curarum pectora mulcet".

## LIBER DECIMUS

B\_10 v.1 "Auroram interea thalamis humentibus Horae  
 2 Tithoni prodire monent. Illa aequoris alto  
 3 gurgite prosiliens rorantia lumina tersit  
 4 cristatosque rosis crines redimivit Eois.  
 5 Tum residens curru niveo resonante flagello  
 6 sollicitavit equos ; illi, qua semita notum  
 7 monstrat iter, volitant et lucem naribus efflant.  
 8 At dux arcanis magnae in penetralibus aulae  
 9 jam dudum expulerat somnos stratisque relictis  
 10 exierat paucisque ad nos comitantibus ibat.  
 11 Parte alia langorem animi seramque perosus  
 12 segnitiam primis comitum stipatus et ipse  
 13 matutinus adest seque illi Borsius offert.  
 14 Tum cari mandata refert genitoris et omne  
 15 consilium causamque viae simul ordine pandit.  
 16 Praecipue tamen affirmat se ad limina missum  
 17 Principis, ut meritos illum visurus honores  
 18 ac partem officii patrio sub nomine praestet.  
 19 Haud invitus ad haec aures animumque Philippus  
 20 advertit felixque cupit contingere nobis  
 21 connubium ac rerum nostrarum in parte vocatum  
 22 se quoque laetatur gratesque agit ore benigno  
 23 nec levibus dictis, quicquid valet, optimus offert.  
 24 Dumque ea sermone alterno memorantur utrimque,  
 25 heroum manus omnis adest et regia magno

26 murmure tecta sonant. Tum factis ordine sacris  
27 corpora curantur studiisque frementibus omnes  
28 venatum namque in sylvas exire parabant  
29 crastinus exspectant ubi sol remeaverit orbi.  
30 Inde ubi clara dies umbram dimovit Olympo,  
31 terribili clamore ruit glomerata juvenus.  
32 Pars pedes ingreditur simul et venabula gestat,  
33 pars vehitur sublimis equis armatque corusco  
34 ense latus manibusque Hispana hastilia vibrat.  
35 Cornua dependent humeris, lateque sequuntur  
36 agmina fida canum diversis usibus apta.  
37 Hae turbare feras et odoro nare latentes  
38 secretis norunt excire cubilibus, illae  
39 Threicio genus eximium de sanguine ducunt  
40 praecipitique Notos superant et fulmina cursu.  
41 Ast aliae ingentes capite et cervicibus amplis,  
42 Albanove solo Geticisve in rupibus ortae,  
43 dentibus audaces rapidis bellantur et astu  
44 comminus, indutae longis thoracibus armos.  
45 Sed neque deformes ursi nec Martius illas  
46 terruerit lupus aut vastae vetus incola sylvae,  
47 dente ferox multumque novo sus effera partu.  
48 Tectorum ad primos aditus nos maximus heros  
49 digressos thalamo laribus comitatur ab altis.  
50 At senium excusat, si non accesserat una  
51 in nemus ipse comes, juvenem se talibus olim  
52 adsuetum studiis memorans, si qua otia rerum  
53 alta daret moles neque ad aspera cogeret arma  
54 imperium bello repetentem antiquaque jura.  
55 "Nam super his nos posse loqui sylvasque virentes  
56 atque procul summa venantum proelia ab arce,  
57 prospectare sat est" ; inquit, "Biragus et una  
58 vobiscum hic aderit Scaramuza Ligurque Petinus  
59 et Posterla meus nec non Antonius et qui  
60 rarus ad haec sine me Oldradus certamina pergit,  
61 nec validi juvenes aberunt venatibus apti".  
62 Haec princeps, et, quem genuit Maurusia tellus,  
63 candidior cygnis et cursibus alitis alas  
64 exsuperans longe atque hinnitu colla superbo  
65 arduus attollens sonipes adducitur, atque hunc  
66 Borsius instratum phaleris auroque nitentem  
67 frenaque mandentem spumanti argentea morsu  
68 insilit, auratum leviter pede nisus in orbem.  
69 Jamque instructa cohors lato procedere campo  
70 coeperat, et stimulis per prata virentia pubes  
71 alipedes agitabat equos passimque ruebat  
72 contendens cursu et placido certamine ludens.  
73 Quadrupedum fremitu tellus strepituque virorum  
74 insonat et crebris responsant vocibus aurae.  
75 Nec minus Adriaca proceres de gente profecti  
76 Gallorum duces et nos visura juvenus  
77 circum equitant, Borsi faciem mirantur et oris  
78 insignem exculti eloquium maturaque verba  
79 expendunt aptosque probant per singula gestus.  
80 Illa quoque eximiam meruit praestantia laudem,  
81 dum velocis equi multa spectabilis arte

82 fortia terga premit latisque exercet in arvis.  
83 Ille gradus agili glomerat levitate superbos  
84 cruraque composito sinuata volumine jactat  
85 arduus et campo insultat, necdum tamen omni  
86 conatu offundit vires cursumque retentat  
87 curvata cervice premens ad pectora barbam.  
88 Hinc properare magis volucresque lacescere ventos  
89 incipit. Instat eques calcaribus ilia pulsans.  
90 Libertate data volitat juba fusa per armos  
91 vixque solo festiva levis vestigia ponit.  
92 Suspensisque fugam rursus moderatus habenis  
93 respondente manu pedibus non inscius heros  
94 elatum saltu exiguum convertit in orbem.  
95 Igneus ex oculis micat ardor et humida canis  
96 ora fluunt spumis tumidaeque frementibus irae  
97 naribus ignescunt et anhelos concutit artus.  
98 Et quamquam ipse negat seque huc animosus et illuc  
99 saepius obvertit, passus tamen ire quietos  
100 Borsius inducit sociumque refertur in agmen.  
101 Haud procul ingenti, late circumdata vallo  
102 planities immensa fuit, qua mille ferarum  
103 erravere greges. Hic omni consita cura  
104 diversis nemora alta locis media arva tenebant  
105 confugium armento sylvestri et commoda sedes.  
106 Prata soli partem, partem sibi poscit aratro  
107 cultus ager ; praebent salientes pocula rivi.  
108 Haec ducis injussu loca nulli accedere fas est.  
109 Hinc atque hinc pecus inclusum mollesque recessus  
110 pevigil armato custodia milite servat.  
111 Quo simulac ventum est, juvenum sese omnis apertis  
112 immittit portis acies ac septa pererrat.  
113 Nec mora, quisque suas diviso munere partes  
114 occupat. Angustas insesso limite fauces  
115 hi nemorum observant taciti et venabula dextris  
116 rite parata tenent laevumque tuentur, at illi  
117 adversum tenuere latus dumisque teguntur.  
118 Stant juxta vincitque canes capita ardua tollunt  
119 auribus arrectis et circum lumina volvunt  
120 atque avidi pugnae exultant, et vivida pulsat  
121 corda tremor coeuntque animoso in pectore vires.  
122 Compositis rebus signum undique pulsa dederunt  
123 cornua ; quo strepitu sylvae insonuere propinquae  
124 atque omnis late regio et cava flumina raucos  
125 acceperere sonos altusque remugiit aether.  
126 Attoniti fugiunt et apertos longa per agros  
127 cornibus elatis condensant agmina cervi.  
128 Parte alia capreae frondosa cubilia linqunt  
129 dantque leves saltus arvis et anhela sequentum  
130 ora canum jam nunc haesura in clunibus horrent,  
131 quaque licet, vitant. Nec non per culta jacentes  
132 inventi exsiliunt lepores rapidisque feruntur  
133 cursibus. Ex omni numero sibi deligit unum  
134 Stroccius et vinclo exutas Turcamque Lycemque  
135 immittit procul atque abeuntem haud segniter urget.  
136 Illas ire pares videas discrimine nullo  
137 frontibus aequatis. Nunc haec, nunc illa vicissim

138 prima fugit sociamque levi post terga volatu  
139 commodiore via et spatio interiore relinquit.  
140 Altera victricem properato concita cursu  
141 protinus assequitur, vinci indignata, novoque  
142 amissum reparat nisu decus et simul instat.  
143 Vis animos alit, atque ingens accendit utramque  
144 sublato clamore favor, dominique sequentis  
145 non ignota canum vox auribus incitat ambas.  
146 Sic pariter se offert aequa victoria lance,  
147 quaeque magis praestet cursu, haud discernere possis.  
148 Ille autem dirae trepidus formidine mortis  
149 accelerat gyrisque citos fallacibus hostes  
150 nonnumquam eludit, nonnumquam limite recto  
151 coeptum iter intendit fruticosaque tecta requirit  
152 strenuus. At quamvis pedibus confidat et astu,  
153 nulla tamen, qua se valeat subducere leto,  
154 est via, sed captus vitam cum sanguine fundit.  
155 Ecce, ruit magno per devia lustra fragore  
156 latratuque canum et vasto clamore sequentum  
157 actus aper medium frendens prorumpit in aequor.  
158 Terribili informis rictu caput excutit ingens  
159 fulmineosque acuit dentes ac spumeus iras  
160 concipit et setis horrent albentibus armi.  
161 Borsius ingenti percussam vulnere cervam  
162 deserit et pulchrae stimulante cupidine laudis  
163 haud illum dubitat contra pedes ire furentem  
164 obvius auritoque manum ferro impiger armat.  
165 Sustulit ora ferox ac dentibus infremuit sus  
166 acribus insurgens animis ; tum flammea torquens  
167 lumina deicit corpus ac sese obtulit ultro  
168 impavidus turbamque canum post terga reliquit.  
169 Objicit extemplo porrecta cuspide ferrum  
170 Borsius ac laevo subnixus poplite perstat  
171 successumque oculis certos meditatur ad ictus.  
172 Nec mora, qua tereti confinia pectora collo,  
173 acer et innitens manibus venabula figit.  
174 Volvitur huc furibundus et huc rivosque cruoris  
175 fundit aper, telumque gravi de vulnere frustra  
176 excutit. Insequitur caedentem et viribus instat.  
177 Interea senior cuncta immiscente tumultu  
178 magnanimum Ugucio campis quaerebat alumnum.  
179 Quem simulac tanto procul in discrimine vidit,  
180 urget equum, juvenes simul increpat et simul acres  
181 imperat emitti Corsos et vincula solvi.  
182 At, Rhodiae sacro qui nunc insignis honore  
183 militiae cum dis aras partitur opimas,  
184 auxilium clamans instigat Avancius Ursam.  
185 Et renes canis accelerat Germanicus Elphis,  
186 inde alii comites. Ruit instar fulminis Ursa  
187 corripuitque suem dextraque pependit ab aure  
188 dentibus infixis. Tum morsu innixa tenaci  
189 ora premens saltu in laevam transfertur et hostem  
190 saetigerum huc illuc trahit et procumbere victrix  
191 cogit humi. Repetit letali Borsius ictu  
192 prostratum et lato praecordia vulnere rumpit.  
193 Te quoque sublimem, Carpensis, gloria caesi

194 tollit apri ; et quamquam in senium vergentibus annis  
195 ausus idem Ugucio est. Sed nec Feltrinus eadem  
196 laude caret, nec te indecorem turpive timore  
197 ignavum Galli proceres, Rangone, putarunt,  
198 immanem cum te multa vi sternere porcam  
199 lactantem bis sex viderunt ubere foetus.  
200 Caetera vel capreas vel cervos turba fugaces  
201 aut lepores capit aut dammas, prolemque ferinam,  
202 ut sors cuique sua est, dat leto ; ingensque refertur  
203 non sine caede canum duro ex certamine praeda.  
204 Longum iter emensus primo distabat ab ortu  
205 Phoebus ad occasum properans, et curva receptu  
206 cornua concinuere, gradusque ad tecta refertur.  
207 Incedunt laeti juvenes, casusque renarrat  
208 venator de more suos et laudibus effert.  
209 Borsius hos inter praesenti pectore et arte  
210 iudiciis hominum excellens primusque fuisse  
211 dicitur ac pugnae insignem meruisse coronam  
212 et superasse suos animis ingentibus annos.  
213 Sol quater exoriens lucem produxerat almam ;  
214 linquere Cusagum et socios discedere fidus  
215 admonet Ugucio jussasque requirere terras ;  
216 Borsius anguigerum monitu senioris amici  
217 regem laetus adit placidoque haec incipit ore :  
218 "Dux, magnae decus Italiae, si nostra sequemur  
219 vota, diu tecum immemores rerumque viaeque,  
220 dum licet, hic erimus. Quid enim vel amoenius istis  
221 esse locis, animive tui quae gratia possit  
222 affectus aequare pios mentemque benignam ?  
223 Sed nos ire jubent cari praecepta parentis,  
224 ne qua obstet tantis coeptis mora et omnia turbet  
225 consilia et frustra coeuntes undique reges  
226 exspectent rebusque absit nova nupta paratis.  
227 Di tibi fortunam dextro per saecula nutu  
228 dent meritis animoque parem et tua vota secudent,  
229 nec nostrae interea capiant te obliviae gentis".  
230 Talia dum memorat, gestusque ac verba Philippus  
231 miratur dextramque tenet laevaue fluentis  
232 permulcet crines. Tum demum pectore vocem  
233 effundens, "Vestris ergo immutabilis", inquit,  
234 "mentibus, ut video, sententia sedit eundi.  
235 Res ita si poscunt, hoc si ratus expetit ordo  
236 idque probant omnes et tu cupis, optime Borsi,  
237 nil moror ulterius ; neque enim decet. Ite secundis  
238 ominibus, nec non hujus mecum omnia vobis,  
239 quicquid id est, regni communia ducite jura !  
240 Sis felix ac te generis pulcherrima vestri  
241 facta, puer, stimulent. Quodsi minus indole fallor,  
242 ingentem famam laudesque anteibis avorum".  
243 Dixit et immensum caelati ferre ministros  
244 argenti pondus jubet ardentemque pyropum,  
245 cui viridis multa conjungitur arte smaragdus.  
246 Huic ingens adamas fulvo conexus in auro  
247 stat super ac solis radios fulgore lacessit.  
248 Eminus at certo distantes ordine conchae  
249 gemmiferum nitidis pingunt candoribus orbem.

250 At rostro palmam gestans similisque volanti  
251 dives opus pedibus Cythereia sustinet ales  
252 par nivibus pennas oculosque infusa rubore.  
253 Has bello atque armis praestans Galeacius olim  
254 ferre solebat opes ; defuncto principe longam  
255 post seriem his potitur regni successor aviti  
256 ultimus ac dono juveni dat habere Philippus.  
257 Omnibus hinc sociis argento auroque feruntur  
258 immixtae chlamydes Rubroque ab litore gemmae.  
259 Omnia, quae nobis laeti carissima vultus  
260 esse docent, gratasque simul testantia mentes  
261 verba adsunt, pictamque abeuntes linquimus arcem,  
262 et qua ducit iter lora obvertuntur equorum.  
263 Hospitio dehinc nos opulenta Novaria, cum jam  
264 vergeret occiduum decedens Phoebus in aequor,  
265 accipit. Hinc celeris Ticini ponte relicto  
266 Vercellae occurrunt ; Sesiaequae relinquimus amnem  
267 roscidaque irriguis habitantes arva Salassos  
268 fontibus, ac celebrem piscosa Durian unda  
269 transvehimur. Turina subit mox ora, Padumque  
270 trajicimus. Post haec diversa per oppida vecti  
271 Saluciense solum et cognatam accedimus urbem.  
272 Quinta dies ubi nos ludis choreisque vacantes  
273 detinuit summosque impendit laetus honores  
274 hospitibus princeps, pulchra cum virgine demum  
275 in patriam molimur iter, caraeque sorori  
276 se quoque magnanimus comitem Thomasius addit.  
277 Regia quo fuerint instructa palatia luxu,  
278 quid tibi commemorem ? Quis nostrae gaudia gentis  
279 exprimat et totam solemnia festa per urbem ?  
280 Namque oratorum populis ex omnibus ingens  
281 Ferrariam affluxit numerus praeclara ferentum  
282 munera ad Estensem. Roseos imitata colores  
283 purpura et auratis illusa laboribus et, quam  
284 textilis artificii nexu pictura pererrat,  
285 conjugibus donata novis ; donantur et urnae  
286 inclusam patulis fundentes oribus imbrem.  
287 Tum gravia et lympham vasa exceptura cadentem  
288 adjiciunt, solido argenti perfecta metallo  
289 omnia ; pars operum nodis coeuntibus in se  
290 per varios tractus caelato inscribitur auro,  
291 pars simplex tantum levisque et candida fulget.  
292 Hic celeres largitur equos Phoenicibus arvis  
293 Threiciove solo Geticisve in rupibus ortos,  
294 Luciferi quales olim de semine Eoi  
295 Orithya tulit supposita conjuge furtim,  
296 qui candore nives superent, qui cursibus auras  
297 antevolent et quos victoria crebra superbos  
298 reddidit, alta jubam fusi per colla comantem.  
299 Ille Myroneis certantia pocula signis  
300 praebet, hic ornatus capitis, Rizarda, decoros,  
301 hic tibi dat variis baccata monilia gemmis.  
302 Multa quoque adduntur mensis genialibus apta  
303 diversis convecta locis terraque marique,  
304 lauta quibus princeps hilaret convivium regum.  
305 Innumeri venere duces, venere puellae



306 praestantes forma atque insignes cultibus omnes.  
 307 Non hic una Venus, non Cecropis una, nec una  
 308 Juno erat, et numquam teneris oblata facultas  
 309 tanta Cupidinibus figendi pectora telis  
 310 spectantum juvenum subitoque ardore furentum.  
 311 Laeta choros pubes regali exercet in aula,  
 312 multiplicemque sonum curvato ductilis aere  
 313 buccina per nodos apte compacta canoros  
 314 et bifores buxi reddunt ; nec lubrica desunt  
 315 carmina concordi certamine, quae grave, acutum  
 316 flexile commiscent, quo lis non dissona possit  
 317 oblectare aures, veluti cum garrula cantu  
 318 exercet noctem gavisam novis hymenaeis  
 319 Daulias. Illa quidem aut dumis aut arbore sistens  
 320 nunc trahit in longum, nunc corripit ; aut modo flectit  
 321 aut modo continuat carmen ; jam dividit et jam  
 322 integrat ; interdum premit imo gutture vocem  
 323 succusam, interdum levat et miserabile luget  
 324 non imitabilibus superans concentibus artem.  
 325 At proceres in equis armati hastasque gerentes  
 326 ludicra inter se simulati bella ciebant  
 327 Martis, honoratae quaerentes praemia palmae.  
 328 Garganum alipedem phalerisque armisque decoris  
 329 desuper instratum gratoque adamanta nitore  
 330 lumina tentantem, pretium haud ignobile pugnae,  
 331 Borsius obtinuit populique favore secundo  
 332 ante sui victor sese tulit ora parentis.  
 333 Quique Faventinae Guidaccius imperat urbi  
 334 atque locum egregia tenuit virtute secundum,  
 335 pictam accepit acu chlamydem, quam fulgidus auro  
 336 conscriptusque nota ambierat '<Di>oseide' limbus ;  
 337 tum galeam, summo cujus de vertice surgit  
 338 atque alas aquila ingentes argentea pandit,  
 339 Nicolei quondam Estensis gestamina, sumit.  
 340 Tertius hunc sequitur Rangona ab origine Guidus.  
 341 Huic lorica datur conserta trilicibus hamis,  
 342 aureus extremas ambit cui circulus oras  
 343 hinc atque hinc ; capulo pulcherrimus ensis eburno  
 344 additur, insigni vagina inclusus et arte  
 345 perfectus, Brontone, tua, quo doctius alter  
 346 nescierat flammis chalybum quaecumque metalla  
 347 ponderibus miscere suis liquefactaque rursus  
 348 seligere atque rudes formare in corpora massas.  
 349 Talibus ornati donis, mox tempora nudant  
 350 exuti galeas juvenes, fluidumque per ora  
 351 sudorem abstergit famulorum sedula pubes  
 352 sollicitaque manu spirantes molliter auras  
 353 excitat et pugna contractos mitiget aestus.  
 354 Victorum ingentis circi plaudente corona  
 355 it manus ac sertis se quisque virentibus ornat.  
 356 Tum laeti redeunt ad tecta atque arma reponunt.  
 357 Jam bis sena dies lucem produxerat almam  
 358 et finem attulerat regalibus ultima ludis.  
 359 Ad patrias sedes remeare petentibus ultro  
 360 permissum hospitibus, tum grates omnibus actae.  
 361 Jam caelo exierat pluvialis Orionis astrum.

362 Borsius Aemiliae subito regionis ad urbes  
363 perguit, ubi sociis jam pridem hiberna pararat ;  
364 armorum atque hominum qua sit sibi copia, lustrat ;  
365 acres laetus equos spectat ; quae postulat usus  
366 militiae, ingenti studio circumspicit heros.  
367 Cuncta parat, comites urget non secius ac si  
368 aspera Bellipotens vocet in certamina Mavors.  
369 Ecce ex diversis legati partibus adsunt  
370 Italiae ac socio cupiunt sibi foedere jungi.  
371 Hinc ducis Insubres referunt mandata Philippi,  
372 hinc Venetus rursum petit, hinc Florentia belli  
373 castrarumque ducem votis hunc omnibus optat.  
374 Contendunt precibus pariter pariterque fatigant  
375 praemiaque ostentant, cum rebus magna viderent  
376 se, quocumque gradum ferret, momenta daturum.  
377 Haud tamen immerito. Neque enim vel debuit alter  
378 flore virum vel equis praeferrari armisque decoris.  
379 Vidi equidem lectos equites peditumque catervas,  
380 cum primum Herberiam peteret Mutinensiaque arva.  
381 Quantum animi, quantum instar erat virtutis in ipsis  
382 militibus, quove armati instructique paratu !  
383 Praecipuus Borsi decor atque elata serenae  
384 frontis majestas hominum stupefacta tenebat  
385 lumina, nec praesens animus rationis egebat.  
386 Cum variis igitur juvenem sermonibus omnes  
387 tentassent, hinc atque illinc diversa monentes,  
388 pro se quisque suas conari attollere partes,  
389 ipse Vicecomitis vertit se ad vota Philippi.  
390 Hujus erat magnum imperium, sed gloria major  
391 floruit atque hominum meritis laudique favebat,  
392 largus opum ac belli cupidus rerumque novarum.  
393 Illic praeterea antiquae post foedera pacis  
394 hospitium Estensi multos cum gente per annos  
395 manserat. Id vero, cum regia nuper adisset  
396 limina Rizardam Adriacas ducturus ad oras,  
397 ipse suo adventu renovarat Borsius, in quem  
398 magnanimus princeps genus omne effudit honoris.  
399 Ergo ubi traductus superato flumine miles,  
400 Gallica quod primum nostris a finibus arva  
401 separat, et Borsi Parmensem exercitus agrum  
402 attigit, extemplo magnae dux anguiger aulae  
403 primores jubet acciri, dehinc talia mandat :  
404 "Ite citi et juvenem Estensem, clarissima cujus  
405 Italiam virtus aeternis laudibus ornat,  
406 quam primum ad nostras properate adducere sedes !  
407 Ille meum nomen meaque arma fidemque secutus,  
408 florida nunc Parmam versus secum agmina ducit,  
409 auxilium nobis laturus et ire paratus,  
410 quo jubeam, atque avidus nostris se jungere castris.  
411 Ocius ergo adsit ! Namque ipsum cernere coram  
412 et prius affari cupimus, quam in castra recedet  
413 Sarzinumque petat, quo se omnis turba meorum  
414 ferme ducum Venetos bello aggressura recepit".  
415 Dixerat. Haud segnes regis praecepta facessunt,  
416 quis data cura, viri et magno simul agmine vadunt  
417 ac Mediolani Borsum alta ad moenia ducunt.

418 Est locus Insubrum magna sublimis in urbe,  
419 praecipiti muro atque ingentibus undique fossis  
420 cinctus. Eum structae pulchro simul ordine tures  
421 munierant, pictaeque ornarant ardua pinnae  
422 moenia, portarumque aditus pontesque superbos  
423 plurimus adsistens custos servarat in armis.  
424 Castellum dixere Jovis, gratissima quondam,  
425 arx spectantum oculis nec vi expugnabilis ulla.  
426 Regales intus sedes atque ampla patebant  
427 atria, marmoreisque domus subnisa columnis  
428 alta, ingens et opus magnorum nobile avorum,  
429 porticibus longis steterat, passimque ferarum  
430 mollibus errarat clausum genus omne viretis.  
431 Ingentes thalamos ebur insignibat et aurum  
432 arte laboratos multa varioque decore.  
433 Huc quondam in terris vitam ducente Philippo  
434 bellorum misti ductoribus ire solebant  
435 aurati aulicolae atque argento ornata juvenus.  
436 Hic varios lusus et equos phalerasque nitentes  
437 cernere erat famulumque manus. Haec splendida magni  
438 Curia regis erat. Primo hic placidissimus ipse  
439 congressu coram vultu excipiebat amico  
440 diversis ad se venientes partibus, idem  
441 nil tunc passus agi rerum, quas propter adessent,  
442 legatos absens plerumque interprete misso  
443 audiit ac demum reddi responsa jubebat.  
444 Hanc extrema sui post funera principis arcem  
445 asper in arma ruens pro libertate tuenda  
446 diruerat populus, victor quam maximus armis  
447 Sforciades, regnum accipiens dotale, refecit  
448 sumptibus eductam innumeris magnoque labore.  
449 Ergo ubi Gallorum primis comitantibus altas  
450 perventum in sedes, procerum stipante caterva  
451 obvius egreditur princeps animique benigni  
452 gaudia prae se fert dictis et fronte serena  
453 atque tenens dextra Borsum in penetralia ducit  
454 ulteriora domus solioque imponit eburno.  
455 Inde ubi summoti coetus paucisque relictis  
456 libera sermonum ambobus concessa facultas,  
457 Borsius his regem prior est affatus et inquit :  
458 "O princeps nulli inferior virtute parentum,  
459 non ego ab extremi submotis partibus exul  
460 advehor Oceani fato compulsus iniquo,  
461 nec miseris in rebus egens ad regia supplex  
462 limina confugio, Latiis sed notus in oris  
463 atque idem Italiae pars non spernenda potentis  
464 advenio, regnum incolumi genitore tenente.  
465 Nam tua magna fides et dedita fama per orbem  
466 ac meus in te ardens amor et vetera illa parentum  
467 vincula amicitiae atque in me paulo ante per omnes  
468 officii spectata gradus tua certa voluntas  
469 adscivere tibi meque has accedere terras  
470 auxiliumque tuis voluere hoc addere castris,  
471 quicquid id est. Ergo arma et equos et fortia pubis  
472 corpora duratae saeva inter proelia Martis  
473 accipe, quae nulla pretii spe Borsius offert !

474 Ipse opibus licet externis et milite nostro  
475 non egeas, quorum tibi maxima copia certe est,  
476 si tamen et vires quae sint prudentiaque hosti  
477 advertas, si Sforciadae bene cognita virtus,  
478 quo duce res Venetum labens stetit, haud nova temnes  
479 subsidia aut gentes pro te socia arma ferentes.  
480 At me, sive animo quicquam seu corpore agendum est,  
481 utere, si quid ego aut dextra aut ratione valebo !  
482 Nullum equidem pro laude tua imperioque laborem  
483 effugiam, nec me tantum hujus, rex optime, belli  
484 participem accipies, sed eris rectorque paterque,  
485 et solum nomen genitoris abesse putabo".  
486 Talia dicentis gestus percurrit et ora  
487 luminibus tacitis princeps, ea pectore secum  
488 verba notans, atque his responsum vocibus ipse  
489 mox laetus dedit : "O juvenum fortissime Borsi  
490 atque mihi in primis studio dilecte parentis,  
491 ut te sub laribus nunc rursus avidusque libensque  
492 accipio videoque meis ! Ut saepe diuque  
493 optatus nostris haesisti in mentibus, ex quo  
494 venisti patrias iter hinc digressus ad oras !  
495 Sed tibi quas grates, quae praemia reddere possum  
496 digna satis ? Quantum hoc debemus munere divis,  
497 quod tibi talem in nos animum mentemque dederunt !  
498 Principio tuus iste meas adventus ad oras  
499 pergratus fuit, ac per te reor omine dextro  
500 non leve praesidium nostris accedere rebus.  
501 Nec me adeo vires et magna potentia regni  
502 immemorem rerum efficiunt adeoque superbum  
503 reddunt, ut Venetos nimium temerarius hostes  
504 ultro despiciam, nec me, quid possit in armis  
505 Sforciades, latet aut, quantos Florentia motus  
506 excitet, atque urbes aliae populique potentes,  
507 quiscum bella gero, fortes armisque minantes  
508 spernere nec tutum est nec sano pectore dignum.  
509 Quocirca neque me externas nunc quaerere vires  
510 dedecet ac magnos contra munire tumultus  
511 bellorum, nec parva duces mihi gloria tantos  
512 pro nostro imperio et pro nostra stare salute.  
513 Non ita mortali cuiquam indulgere secundi  
514 caelicolae, ut, quamquam reliquis opulentus abundat  
515 rebus, amicorum dederint satis. Omnia vero  
516 post illos ducenda reor, quae lubrica sub se  
517 fors habet et celeri magnum rotat axe per orbem.  
518 Nos hominum egregias mentes famamque decusque  
519 auro praeferimus ductique cupidine laudis  
520 haec agimus, non ut gazas cumulemus avari  
521 turpiter. Haec agimus ; geminis cum fratribus ipse  
522 testis rex Alphonsus erit procerumque catervae  
523 et quos navali Ligures certamine captos  
524 huc misere duces, cum belli jura liceret  
525 exercere mihi et spoliis auroque potiri,  
526 quo sibi concessa redimi potuere salute.  
527 Nil hostile tamen passos in regna remisi  
528 muneribus laetos magnis neque honore carentes.  
529 Hoc etiam experti Malatestae et strenuus armis

530 Sismundus, quibus et vitam donavimus olim  
531 et data libertas et munera digna Philippo.  
532 Quare, age, nostrarum ductor clarissime rerum  
533 in partem acceptus, nobiscum tu quoque curam  
534 concipe et hanc terram pariter tueamur ab hoste !  
535 Qui si forte ducem victor quod maximus unus  
536 Jupiter avertat ! Patria de sede Philippum  
537 expulerit, tua quid speret Ferraria demum,  
538 respice, cum populis inhiet cupido ore Latinis  
539 edomitoque mari terris vestigia firmet !  
540 Tecum aderit praestans animo Talianus et armis,  
541 obruta quem toties funestis cladibus horret  
542 Brixia, quem duri numquam fregere labores.  
543 Sunt et Aloisi gemini, quos gloria caelo  
544 extulit, hic Vermi de sanguine clarus et altum  
545 ille Severina ducens ab origine nomen.  
546 Arma ferent simul et tecum horrida bella cieunt.  
547 Innumeros his adde duces validasque phalanges,  
548 quosque viros urbes mittent in proelia nostrae.  
549 Praeterea Etruscis jam Piceninus in oris  
550 occulte populos omnes pertentat et illuc  
551 mox iter intendens subito simul omnia bello  
552 ac Florentinum invadet nil tale verentem.  
553 Cui si fata dabunt, veluti mens sperat et optat,  
554 successum, huc totas acies victricis arma  
555 transferet ingentemque trahet secum ipse ruinam,  
556 antiquas renovans clades, Venetumque receptis  
557 expulsum terris natale fugabit ad aequor.  
558 Hos inter non extremum indecoremve tenebit  
559 Borsi fama locum, numeroque cohortibus aucto  
560 addam equites peditesque tibi, et praeclara sequentur  
561 munera, nec cedet proprio mea cura parenti".  
562 Haec ait. Interea fugiens properabat Olympum  
563 deserere occiduisque jubar sol abdere in undis.  
564 Consurgunt simul et secreta sede relicta  
565 it comes Estensi et thalamum perducit in altum  
566 anguiger insolito Borsum dignatus honore.  
567 Inde suas repetit sedes. Regalia post haec  
568 instructis laute celebrant convivia mensis,  
569 lapsaque nox caelo suadet dare membra quieti.  
570 Postera Phoebeos Aurora revexerat ignes.  
571 Protinus ipse viros dux Borso dona ferentes  
572 polliciti memor ire jubet, cristisque minacem  
573 sanguineis galeam arrectis auroque nitentem,  
574 quaeque humeros obeant duplicesque atrata lacertos  
575 tegmina, loricamque hamis largitur ahenis  
576 consertam, haud ulli textum penetrabile ferro,  
577 aureus extremas ambit cui circulus oras  
578 fibulaque incluso subnectitur aurea collo.  
579 Addit et auratas ocreas ense decorum  
580 et manuum ferro tutamina fida recocto,  
581 levia mobilibus digitis, thoracaeque, magni  
582 egregium Messagis opus, quem littera circum  
583 artificem testata suum caelatur in auro.  
584 Tres etiam, Alphonsi donum haud ignobile regis,  
585 addit equos, rutilis animosum naribus ignem

586 efflantes, Calabri armenti stirpisque Sicanae  
587 Garganique decus primum gregis ; omnibus aetas  
588 una fuit geminis lustrum superantibus annis,  
589 docti omnes celerem subito compescere cursum  
590 atque immota solo vestigia figere nec non  
591 colla reflectentes pressis se obvertere loris  
592 in gyrum atque agili consurgere in aethera saltu.  
593 Horum alter candore nives aequabat, et alter  
594 acre micans oculis totosque nigerrimus artus  
595 sublimem tenui frontem signaverat albo,  
596 tertius huic similis potuit fraterque videri,  
597 ni color exiguo ad rutilum discrimine tendat  
598 atque subobscurus paulum declinet ab atro  
599 albaque posterior nisi sit pedis ungula laevi.  
600 His super armatis fulvoque nitentibus auro  
601 terna manu terni pueri non artis egentes  
602 robora portabant levi splendentia ferro ;  
603 cupidibus simul arrectis unaque magistro  
604 parentes sagulis in versicoloribus ibant.  
605 Nec non eximium castris decus additur ingens  
606 vexillum atque aliae pendens infigitur hastae.  
607 Hic ferrugineus spiris ingentibus anguis  
608 immani adsurgens fera guttura pandit hiatu  
609 letiferisque vorat correptum dentibus hostem  
610 terribilis tollitque juba et squamea terga.  
611 Praeterea argenti magnum dat pondus et auri,  
612 ocus ut possit veteres augere maniplos  
613 atque parare novas conducto milite turmas.  
614 His Crema muneribus super addita, cujus opimos  
615 serius aurifero campos interluit amne,  
616 urbibus haud impar claris Crema, sive domorum  
617 structuram insignem turritaque moenia quaeras,  
618 ingentem seu vim populi moresque benignos  
619 respicias et opes ac templa situmque locorum.  
620 Talibus insignis donis ac laetus ab urbe  
621 castra petit bello intentus rebusque gerendis  
622 Borsius atque aliis mox se ductoribus addit,  
623 vipereis miscens aquilas et lilia signis".